DE RHEUMATISMO GONORRHOICO

IN UNIVERSUM ET DE FORMA EJUS ACUTA.

DISQUISITIO,

QUAM PRO LICENTIA SUMMOS IN MEDICINA HONORES RITE CAPESSENDI.

SCRIPSIT

LUDOVICUS BRANDES.

CANDIDATUS MED. & CHIR. MEDICUS NOSOCOMII COMMUNIS SUBSIDIARIUS.

DIE 29no M. NOVEMBRIS H. L. Q. S.



HAUNIÆ, 1848.

TYPIS EXCUDEBAT BIANCO LUNO.

Facultas medica Hafniensis hanc dissertationem dignam censet, quæ pro Licentiatu medicinæ publico examini subjiciatur.

C. Otto,
h. a. Decanus Fac. med.

Introductio.

Quum sub decursu gonorrhoeæ arthropathiam existere videmus interdum tam gravem, ut per menses ægrotos in lecto retineat, adducimur ad quæstionem, ut mihi videtur sat magni momenti: sitne gonorrhoea causa hujus arthropathiæ, necne?

Si nosologicorum systematum scriptores vel syphilidologos consulamus, nonnullos inveniemus, qui putent, hanc arthropathiam existere, quum nimis subito supprimatur gonorrhoea, alios, qui censeant, gonorrhoeam æque ac scorbutum, syphilidem, excessus venereos cet. dispositionem rheumatismi interdum afferre posse, debilitatem universalem atque ita minorem potentiis externis resistendi facultatem provocantem, dum plerique arthritidem sive rheumatismum gonorrhoicum aut non commemorant, aut re vera inveniri plane negant.

Primum igitur examinemus argumenta eorum, qui ejusmodi morbum nullum esse contendunt.

1

„Rheumatismus vulgaris & gonorrhoea, dicat fortasse hujus sententiæ defensor, frequentissime occurrunt; rheumatismus autem, qui vocatur gonorrhoicus, est morbus sat rarus; ergo nequaquam mirandum est, si quis, gonorrhoea laborans, interdum rheumatismo quoque afficiatur; apud Macleodium [1], ut hoc exemplum afferam, videmus inter 81 ægrotos ob rheumatismum articularem in nosocomio Londiniensi decubantes, fere omnes inter 20^{mum}–50^{mum} annum, duos affectos fuisse gonorrhoea; atqui si in urbe, qualis est Londinium, ponimus inter 40 ægrotos hujus ætatis in universum unum solum esse gonorrhoea laborantem, magnopere probabile fit, inter 81 ægrotos sive rheumatismo, sive alio morbo laborantes, duos posse inveniri, qui gonorrhoea quoque affecti sint, et certe nulla adest ratio, cur rheumatismum apud illos duos gonorrhoeæ attribuendum esse putemus."

„Deinde, id quod etiam majoris est momenti, ii, qui rheumatismum gonorrhoicum statuunt, certe, si sententiam suam probare volunt, quibus symptomatis differat a rheumatismo vulgari, debent afferre, at, quæ afferunt signa, pathognomica nequaquam appellari possunt."

„Ita Cumano, Eisenmann, Foucart, alii indicant, rheumatismum gonorrhoicum unam modo articulationem afficere, at partim ipsi afferunt casus, in quibus rheumatismus gonorrhoicus plures articulationes, quin etiam fere omnes

[1]) On rheumatism in its various forms 1842. Cfr. Canstatts Jahresbericht 2ter Jahrgang, 2ter Band.

afficerit, partim sane constat, vulgarem quoque rheumatismum interdum unam modo articulationem aggredi."

„Alii, ut Velpeau vir cel., tanquam signa differentialia afferunt, arthropathiam gonorrhoicam valde subito apparere, et ruborem cum tumore non congruere; at, sicut supra dictum est, neque morbus semper hoc modo existit, neque hæc signa in casibus rheumatismi vulgaris desunt.

„Huc accedit, quod argumentum, quo plerique ad rheumatismum gonorrhoicum probandum utuntur: effluxum gonorrhoicum cessare, quando rheumatismus appareat, parum firmum est; sæpe enim casus rh. gon. afferuntur, ubi nulla deminutio effluxus affuerit, et quando effluxus interdum silet, nonne fieri potest ut, quæ causa rheumatismum articularem provocarit, eadem etiam effluxum illum sedaverit."

„Denique etiamsi gonorrhoea per metastasin arthritidem efficere possit, non statim tamen hac de causa morbus specialis habendus est. Si ita ageremus, numerus morborum innumerabilis fieret; ita verbi causa meningitis morbillosa, scarlatinosa cet. morbi speciales existimandi erant, quia constat, meningitidem sub decursu horum morborum interdum et quidem sæpe eodem tempore, quo exanthema evanescat, apparere."

„Quoniam igitur statuendum est rheumatismum gon: re vera nondum esse probatum, ac præterea intelligere omnino nequimus, quo modo gonorrhoea rheumatismum afferre possit: tum sane optimum erit, si eum esse plane denegabimus. Nam si modo concesserimus fieri posse, ut gonorrhoea causa arthropathiæ existat, tum Ritter, Eisenmann,

Baumés, alii hypothesibus suis de infectione organismi gonorrhoica nos assentire credent."

His ergo argumentis jam mihi respondendum est. Hoc certe concedendum est non raro fieri, ut in causis et effectibus dijudicandis id, quod sæpius aliud sequatur, effectus nobis esse videatur; sed inde non sequitur, ut, quod raro appareat, non possit esse effectus causæ frequenter sese præbentis.

Etiam in ea re, de qua agimus, accidit, ut, qui morbus rarus habetur, forsan alio sit rarus, alio deinde vel etiam eodem loco sub aliis vero conditionibus non infrequens appareat. Itaque rh. gon. rarissime in sectione medica nosocomii communis hujus urbis observatur, quum sæpius in sectione medica nosocomii Fredericiani, eundem fere ægrotorum numerum continentis, occurrat. Contra morbus est rarior in sectione chirurgica nos. Fr., quum casus in sectione chir. nos. com. frequenter occurrant; ut mense Augusto 1844 sex ægroti in hac sectione rheumatismi gon. laborantes decubuere.

Ergo certe e numero observationum peti non potest argumentum, quo hunc morbum nullum esse probetur. Multo sane majoris momenti est, quod nullum symptoma pathognomicum afferri potest [1]), quo rh. gon. differat a

[1]) Cfr. Dictionaire de médecine pratique en 15 vol., tom. IV, p. 156, Cullerier et Ratier. Quant à l'arthrite et aux douleurs musculaires, qui se manifestent quelquefois dans son cours, et que l'on a jadis regardées comme lui appartenant d'une manière toute speciale, on ne l'observe que chez des malades, qui sont sujets à l'inflammation articulaire et musculaire, ou sous l'influence des causes, qui ont coutume de les déterminer. D'ailleurs l'arthrite et la myosite, même

rheumatismo vulgari. Ad quam disquisitionem collegi casus, quos aut ipse vidi aut e diariis nosocomiorum communis & Fredericiani excerpsi, eosque sicut casus apud auctores commemoratos cum casibus rheumatismi vulgaris comparavi, quo facto equidem habitum morbi talem esse inveni, ut diagnosis satis certa, magno numero casuum perspecto, non difficulter erui possit; sed ut symptoma, quod jure pathognomicum dici posset, reperirem, mihi non contigit. Quamobrem etsi persuasum habui, morbum specialem re vera inveniri, hoc tamen diu dubium mihi fuit, quomodo eum aptissime probare possem.

Talia vero signa pathognomica quærens, non veluti plerique auctores, qui antea de hoc morbo scripsere, symptomatologiæ tantummodo rationem habui, sed accuratius casus omnes examinans etiam in prognosi et ætiologia et cura argumenta contineri inveni, e quibus erui posset, rheumatismum gon genus esse rheumatismi speciale. Inter hæc argumenta unum inprimis in prognosi contemplanda effectum, majoris momenti mihi visum est, nam postea toties id confirmatum reperi, ut legem fere mihi constituere videretur. Quum enim omnes auctores jure doceant, prognosin in vulgari rheumatismo articulari ideo graviorem fieri, quod hic morbus, si quando hominem infestaverit, spatio temporis vario interjecto, denuo facile appareat, aliam invenimus rationem rheumatismi gon. Quando enim homo, qui antea rheumatismo vulgari non laboravit, affe-

---

lorsqu'elles coïncident avec la disparition plus ou moins brusque et complète de la blennorrhagie, ne présentent rien de particulier dans la marche, la durée ni la terminaison, non plus que dans le traitement.

ctus est rheumatismo articulari e gonorrhoea orto, non magis propensus est ad rheumatismum denuo contrahendum, dummodo gonorrhoea nullis residuis relictis pariter ac arthropathia omnino sanata sit; sed simul ac novam sibi contraxerit gonorrhoeam, tum mox fere quasi fatali necessitate rheumatismo denuo afficietur.

Quod observationibus jam probare conabor.

Observatio Ima.

P. M., 29 annos natus, 1844 in nosocomio communi ob gonorrhoeam decubuit. Jam 4 annis antehac in Norvegia gonorrhoeam sibi contraxerat, qua quum per 6 hebdomades laborasset, atque effluxus balsamo copaivæ adhibito jam fere sileret, subito sine cognita causa, nunquam antea rheumatismum passus, affectus erat rheumatismo, primum in genu dextro hærente, postea etiam alterum genu infestante, denique articulationes pedis utriusque et digitum secundum manus sinistræ aggrediente. Articulationes affectæ tumidæ erant et dolorificæ; ceterum febris neque antegressa neque comitata erat morbum, qui per tres menses duravit. Hoc ab tempore usque ad introitum in nosocomium omnino sanus fuerat, atque etsi refrigerio magnopere expositus erat, nunquam tamen rheumatismo laboraverat.

Jam, quum die 24 m. Novembris 1844 in nosocomium commune intravit, per 4 dies effluxu purulento ex urethra et tumore levi glandularum inguinis dextri affectus erat.

Præscriptum est Bals. copaivæ,

quo effluxus diebus insequentibus deminutus est. Sed prioribus diebus m. Decbr. dolores genuum orti sunt, et die 6 m. Decbr. quatuordecem diebus postquam exstiterat effluxus, tumor notabilis genus utriusque cum fluctuatione manifesta apparuit. Febrilia nulla adfuere, sed gastricismus levis balsamo copaivæ provocatus.

Sep. bals. copaivæ.
Lana circa genua,

et die insequente porrectum est

Sulphur. aurat. ant.
Calomelanos āā ℈j
Extr. cicut. q. s.
ut. f. p. No. XL.
quarum No. 2 bis de die.

Præterea

Vesicatorium genus dextri

et nonnullis diebus post

Vesicat. genus sinistri.

Pilulæ levem oris affectionem provocarunt, sed exiguum vel fere nullum rheumatismi levamen attulere, quam ob rem, quum 100 pilulus adhibuisset, status autem semper fere idem maneret, quin etiam dolor migrare & humerum sinistrum infestare inciperet, pilulas diebus posterioribus m. Decbr. seposuit, et deinde

Vinum colchicum

sumpsit. Vesicatoriis in articulationibus repetitis et cataplasmatis saturninis postea applicatis, initio m. Januarii 1847 status ejus satis bonus erat, ita ut die 9 m. Januar. le-

ctum relinquere valeret. Sed rheumatismus jam die 11 m. Januar. affecit digitum secundum & tertium manus sin., die 13 Jan. humerum sin., qui fere immobilis factus est, die 15 Jan. genu dextrum, ita ut ibi fluctuatio manifesta sentiretur. Adhibita sunt varia remedia externa (unguentum Kali hydrïod. & ungv. Neapol. āā, emplastrum de cicuta cum mercurio, balnea sulphurata artificialia), quibus symptomata illa bene deminuta sunt, sed initio m. Febr. iterum graviora extiterunt. Qua sub exacerbatione applicatio hirudinum sæpius repetita bonum effectum exserere visa est; dolores enim, quoties applicatæ erant, deminuebantur, tumor decrescebat, et motus articulationum minus erat impeditus.

Per totum morbi decursum effluxus levis urethralis perstiterat, quum autem initio m. Martii ut verisimile est propter usum pulv. e cremore tartari & lacte sulphur. āā largior fieret, injecta primum solutione lapidis infernalis (grv-ʒi) deinde solut. vitriol. zinci, effluxus sedatus est.

Levi tantummodo articulationum utriusque genus, humeri, digiti medii manus sin. rigiditate restante, die 22 m. Martii 1845, postquam in nosocomio per 4 menses decubuit, inde excessit.

Hæc artuum rigiditas post breve tempus evanuit, et *P. M.* jam per duos annos et dimidium omnino sanus fuit. Vicissitudinibus aëris & tempestatibus magnopere expositus erat, nec tamen unquam affectus est aut arthropathiis aut doloribus rheumaticis. Sed initio m. Junii 1847 gonorrhoeam sibi contraxit, et ne octo quidem dies præterlapsi erant, antequam denuo dolores rheumatici apparuere ad

tractum cristæ ossis ilei sin., deinde digitos manus dextræ, denique articulationem manus sin., genua aggressi sunt, quare nosocomium Fr. die 16 m. Junii petere coactus est.

Quum intravit, hæ articulationes minori vel majori gradu affectæ erant. Genu sinistrum erat tumidum et dolorificum, ceterum cuti concolor; articulatio cubiti sinistri præbebat tumorem ad utrumque latus olecrani prominentem, cuti concolorem, hic et illic tamen leviter rubescentem, haud multum dolorificum, elasticum, indistincte fluctuantem. Flexio et extensio brachii nonnihil impeditæ erant. Articulatio manus sin. leviter modo tumebat et dolebat. Ad primam articulationem digiti quarti erat tumor rubicundi coloris, sat tensus, pressione dolens. Diebus introitum in nosocomium proxime antecedentibus levis gastricismus adfuerat, sine dubio balsamo copaivæ debitus, quo domi adhibito effluxus siluerat, mox tamen denuo apparuerat.

Præscripta sunt Pulv. nitri et sacchar. āā ℨβ. bih.
Cannabis picea,
Balnea Russica
die alternante.

Etiam tunc multa et varia medicamina in usum vocata sunt; morbus autem omnia illa remedia, quæ vulgo antirheumatica dicuntur (atque hic primum ea adhibita sunt, quod ægrotus gonorrhoeam celarat [1]), respuit, et per 6 menses ægrotus in nosocomio commoratus est.

---

[1]) Quod haud raro accidit, quia ægroti, morbis venereis laborantes, in nosocomium Fr. non admittuntur, sed in nosocomio communi tractandi sunt.

Pulv. nitri sacchar. post breve tempus sepositus est, item balneis Russicis, postquam per 6 hebdomades altero quoque die eas adhibuit, uti desiit, quod dolores potius augerentur quam minuerentur, et quidem semper balnearum die aggravarentur.

Effectum nihilo meliorem exseruit tra. colchici, quæ post octo dies, statu ceterum haud mutato, diarrhoeam excitavit. Tra. volatilis resinæ guajaci item per aliquot dies frustra adhibita est. Dolor enim modo in hac, modo in illa articulatione minuebatur ille quidem, sed tum fere semper alia vehementius afficiebatur; quum autem ob tumorem articulationis manus sin. vesicatorium applicaretur, tumor & dolor decreverunt.

Initio m. Augusti mixtura e

Chinin. sulphur. gr xxiv.
s. in
Aquæ destillat. ℥viii.
Acid. sulphur. dil. gtt x.
m. d. s. ℥ß 4dd.

sed non majori eum effectu tentata est, quin etiam palpitationes cordis extitere, pulsus frequens, 100, nonnihil durus factus est, et sub auscultatione ictus cordis prior protractus et asper auditus est. Itaque hac mixtura seposita, solutio kali hydriodici (ʒii–℥viii) sumpta est, sed quum post 4 hebdomades dolores, etiamsi nonnihil minuti viderentur, vagiores tamen exsisterent, etiam hæc d. 2 Septbr. seponenda fuit. Mixtura camphorata sudorem largiorem excitavit, et dolores eodem tempore decreverunt, ita ut lectum relinquere valeret.

Intra id tempus, quo hoc remedium adhibuit (2 Septbr. — 9 Octbr.) ophthalmia affectus est; conjunctiva oculi sin. nonnullam præbuit injectionem, ac præterea photophobia epiphoraque accessit. Hirudines sine levamine oculo applicatæ sunt; injectio potius aucta est, sed sacculo aromatico imposito symptomata bene decrevere et vesicatorio pone aurem imposito brevi post omnino fugata sunt.

Quum dolores mixtura camphorata adhibita levarentur quidem, sed non tollerentur, et mox unam mox aliam articulationem occuparent, deinde seposita est, et pilulæ præscriptæ sunt e Resinæ gi guajaci ℨııı.
Camphoræ ℨı.
unde f. p. p. gr ıı.
Pill. No. ıv. ter de die.

Hoc fere tempore hunc ægrotum benevolentia illustr. Professoris Trier, protomedici nosoc Fredericiani observare mihi contigit. Erat homo robustus, plethoricus, constitutionis ut mihi visus est sanæ, e stirpe rheumatismo haud vexata ortus. Præter rheumatismum gon. nullos alios morbos passus erat, ulcere syphilitico excepto, quod 1838 in nosocomio communi remediis externis tractatum nunquam symptomata infectionis syphiliticæ secuta erant. His ipsis diebus lectum denuo petere coactus erat, quum genu dextrum iterum tumidum & dolorificum factum esset. Inspectione tumor genus sat notabilis, formam capsulæ præbens repertus est; erat cuti concolor, elasticus, manifeste fluctuans, pressione ad marginem superiorem & inferiorem patellæ leviter tantummodo dolens; dolores erant indolis remittentis, vespere plerumque graviores, mane mitiores, tem-

pestate & mutatione aëris exacerbabantur; præterea ægroto graviores fieri videbantur, quum effluxus urethralis, qui etiam nunc persistebat, accrevit. Motus extremitatis et passivus et activus haud multo impeditus erat, quin etiam pede niti valebat, etsi hydarthrus manifestus aderat; sub motu magis debilitatem quam dolorem genus querebatur. Articulationibus quarti & quinti digiti manus dextræ exceptis, ubi tumor satis durus, pressione dolens etiam tum restabat, reliquæ nullum fere tumorem præbebant Flexio horum digitorum nonnihil impedita erat, propter contractos musculos non prorsus concessa. Dolores tunc præter genua raro alias articulationes afficiebant; sub motu corporis etiamtum præcipue in humero, lumbis, occipite, ad insertionem tendinum hærebant, sub quiete autem plerumque silebant. Motus articulationis manus sin. non omnino liber erat; extensio vero, flexio pronatioque satis permissa, sed supinatio omnino denegata. Inspectione articulatio manus reperta est cuti concolor, pressione haud dolens, formam normalem præbens, præterquam quod capitulum ulnæ in superficie dorsali prominebat, atque ita tumorem formabat durum, indolorificum, qui pressione evanescebat, sed mox iterum apparebat. Hæc deviatio sine dubio allata erat hydarthro, qui capsulam nimis expansam et capitulum ulnæ minus fixum reliquerat.

Dolores somnum interdum nocte turbabant, appetitus autem cibi sat bonus erat, sudor vero, qui initio, quum mixtura camphorata adhiberetur, adfuerat, jam erat nullus; urina exiguum sedimentum haud lateritium habebat. Iisdem illis diebus tussis aderat, imprimis mane molesta cum ex-

pectoratione serosa, mucosa, cum dolore inter scapulas conjuncta Ægrotus nunquam antea tussi laboraverat, et signa physicalia nihil abnorme præbuerunt.

Gonorrhoea etiamtum fluebat, et stranguria intercurrebat; radius urinæ normalis.

Pilulis e resina guajaci & camphora die 4to m. Septbr. sepositis, iternm balnea Russica adhibere coepit, iisque usque ad d. 7 m. Decbr., quo die nosocomium reliquit, usus est. Hoc intervallo dolores præter ad marginem externum pedis dextri ubique evanuere; tumor nusquam relictus et motus omnium articulationum erat liber, supinatio tantummodo manus sin. prominentia illa, etsi compressio diutius adhibita fuerat, impedita erat.

Gonorrhoea, ad quam sedandam injectiones e solutione lapidis infernalis et pulvis cubebar. cum alumine adhibita fuerant, fere evanuerat, et parcus modo effluxus serosus cum stranguria non conjunctus restabat.

Ergo homo nunquam antea rheumatismum passus, nullam dispositionem hæreditariam præbens, gonorrhoeam sibi contrahit, et sub ejus decursu arthropathia rheumatica laborare incipit. -- Fortuito sane hoc fieri potest. — Sanatus vero per 4 annos ne minimum quidem rheumatismi vestigium animadvertit; tum autem iterum gonorrhoeam sibi contrahit, et nonnullis diebus post rheumatismo afficitur. — Num etiam hoc fortuito fieri existimandum est? — Iterum sanatus per duos annos optima

valetudine gaudet; tum autem gonorrhoea — mox novus quoque rheumatismus apparet.

Denique velim lectores observent, tertio rheumatismi impetu non solum articulationes, sed etiam alias partes fibrosas ut aponeuroses ad cristam ossis ilei, ad lumbos, ad nucham affectas fuisse. Hæc una fuit causarum, quibus perductus sum, ut morbum non arthritidem sicut Velpeau reliquique Galli, sed rheumatismum gonorrhoicum vocarem.

Sed unum exemplum minime sufficit, itaque pluribus observationibus sententiam a me propositam necesse est confirmem.

Observatio 2da.

Die 25 m. Octbr. 1847. C. S. lignarius Germanicus in nosocomium commune intravit; tunc per 14 dies laborabat gonorrhoea, quæ initio conjuncta fuerat cum stranguria intensa, thea demulcenti autem domi adhibita fere evanuerat; ceterum nil questus est ægrotus; retulit autem, se jam bis antea eodem morbo laborasse, et quidem priorem ante 4 annos, quo tempore, effluxu decocto seminum lini fere sedato, exstitisse dolores, initio genua, postea articulationes pedum aggredientes; dolores & tumores articulationum post 10 septimanas demum remisisse; conjunctivitidem sub decursu rheumatismi adfuisse, quæ sanata tamen postea sæpius revertisset.

Post hoc tempus per biennium bona valetudine usus est; tum vero duobus annis abhinc novam gonorrhoeam sibi contraxit, quæ thea demulcenti tractata post octo dies jam

fere siluit, quum iterum rheumatismus apparuit, per sex deinde menses perdurans, inprimis coxam sinistram infestans, sæpe remittens, sed mox denuo exacerbatus. Quum denique hic quoque plane cessasset, rursus optime valuit usque ad initium m. Octbr. 1847, quum tertia gonorrhoea affectus est. Hic certe timendum erat (si quidem regula, quam supra proposui, vera est), ne iterum afficeretur rheumatismo, ac profecto quatuor modo diebus post introitum præterlapsis dolores coxæ sinistræ queri incepit, ad lumbos sese tendentes, et motum extremitatis impedientes. Ceterum febrilia nulla adfuere; cutis modo nonnihil sudans. Præscriptæ sunt Cucurb. cr. vi, quæ die insequente repetitæ sunt. Quum autem dolores augerentur

Vesicatorium regionis coxæ

die 2 Novbr. applicatum est. Die 4 Novbr. febrilia levia accessere, quæ tamen diebus insequentibus sponte evanuere; sine dubio vesicatorio attribuenda erant, quum hoc remedium sub impetu rheumatismi anterioris sæpius talia provocasset. Dolores proximis diebus bene deminuti mox iterum aggravati sunt; pressio pone trochanterem majorem lateris sinistri dolorifica erat, coxa etiam nonnihil tumida apparebat, et dolor usque ad hallucem sese extendebat; ceterum nusquam tumor ullus apparuit. Cataplasmate emoll. symptomata non minuta sunt, quare d. 26 Novbr. præscriptum est Rc. Sublim. corros. gr iii.

Micæ panis ℨi.

inde f. p. No. xxx.

s. p. No. i de die.

Una pilula secundo quoque die addita dosis pilularum ad numerum XII aucta est, deinde levi oris affectione mercuriali provocata eodem modo dosis deminuta est. Initio hujus curæ status fere idem mansit, et

Cucurb. cr. VI

bis sine levamine applicatæ sunt.

A medio autem m. Decbr. moxis duabus ad articulationem coxæ applicatis, dolores bene deminuti sunt, ita ut initio m. Januar. 1848 exiguam modo debilitatem extremitatis inf. sin. sub motu accusaret. Effluxus,

Capsulis e bals. copaiv. & extr. cubeb.

non sine effectu tractatus est. Ob dolorem, quem cereolus, in canalem urethræ inductus, loco circumscripto circiter 5 pollices ab orificio urethræ sito, provocavit,

Cauterisatio loci dolentis

ope apparatus porte-caustique Lallemandii instituta est. Effluxus siluit, mox autem revertit, denique omnino sedatus est, et d. 8 m. Februar. S....., nullum omnino coxæ dolorem accusans, nosocomium reliquit.

Præterquam quod rheumatismus, quoties gonorrhoea apparuerat, eam, sicut in casu antecedenti, secutus est, hoc quoque notandum est, neque balsamum copaivæ neque pulverem cubeb. in hoc casu ante adventum rheumatismi adhibitum fuisse. Sunt enim, qui rheumatismum gon. non gonorrhoeæ sed his medicaminibus adscribant.

Observatio 3tia.

C. H., agricola die 30 m. Aug. 1845 nosocomium com. intravit. Mense Aprili hujus anni gonorrhoea affectus erat, quæ thea demulc. & balsamo copaivæ tractata deinde siluerat, sed labore intenso iterum autumno apparuerat. Sponte jam fere evanuerat, quum subito sine cognita causa tumor notabilis genus sinistri, leviter modo dolorificus exstitit; primum nosocomium Fr. petierat, ubi cucurbitis cr. & vesicatoriis bono cum effectu tractatus erat; quum autem, nosocomio post quinque hebdomades relicto, morbus recrudesceret et tunc quidem præter genua articulationem quoque sterno-clavicularem dextram infestaret, in nosocomium com. receptus est, ubi præscripta sunt

Cataplasm. saturn. &
Ungu. kali hydriod.
— Neapolit āā
ad inunctionem.

Fluctuatio manifesta affuit in genu dextro, sed spatio trium hebdomadum omnino evanuit, et gonorrhoea balsamo copaivæ adhibito siluit. Die 23 m. Septbr. nosocomium reliquit levi modo debilitate genuum restante, quæ post octo circiter dies omnino recessit. Ægrotus ceterum nunquam antea rheumatismum passus erat.

Nosocomio relicto per duos annos omnino sanus fuit, neque unquam dolores rheumaticos sentiit, sed m. Augusto

anni 1847, quum in urbem venisset, gonorrhoeam novam sibi contraxit, quam thea demulc. tractavit. Hæc nondum sanata erat, quum ulterioribus diebus m. Aug. noctu subito exstiterunt dolor & tumor articulationis pedis dextri, die insequenti autem genu quoque dextrum eodemque tempore testis sinister intumuit, quam ob causam iterum die 4 Septbr. nosocomium com. petiit. Genu dextrum magnopere tumidum, fluctuationem manifestam præbens, repertum est. Præscripta sunt:

Hirud. med. viij genus dextr.
Cataplasm. saturn.
Bals. copaivæ,

quibus tumore nonnihil quidem minuto, sed tamen non ita levi restante die 9 m. Septbr. præscriptum est:

Ungv. kali hydriod.
— Neapolit. āā
pro inunctione.

Dum tumor & dolor genus dextri deinde decrescunt, subito accessit tumor genus sin. Quum dolores genus dextri iterum graviores fierent, vesicatorium ibi applicatum est, quod etiam post nonnulles dies in altero genu impositum est.

Medio mensi articulationes duorum digitorum affectæ sunt; die 22. m. Septbr. gonorrhoea siluit, tumor testiculi jam evanidus erat, doloresque fugati erant, excepto dolore genus dextri, sed emplastro resolvente applicato paucis diebus etiam hic evanuit. Die 1 m. Octbr. nosocomium sanatus reliquit.

Hac in observatione idem quod in antecedentibus repetitur, et sicut primo insultu morbus formam minus chronicam quam in casibus antecedentibus induerat, ita etiam, quando iterum exstitit, eandem formam retinuit. Si cui observationes hæ non sufficiunt, jam nonnullos adhuc perhibebo, sed ne lectorem fatigem, eam modo historiarum morborum partem, quæ ad rem, quam hic tractamus, spectat, afferam, reliquam omittam, et si quid commemoratu dignum continet, alio loco uberius ad eam revertam.

Observatio 4ta.

J. S. sutor nosocomium com. die 17 m. Septbr. 1842 intrat; laborat per 4 hebdomades gonorrhoea, per 8 dies conjunctivitide et rheumatismo, extremitates inf., inprimis genu sin. occupante. Die 12 m. Febr. 1843 gonorrhoea silet, die 4 m. Mart. nosocomium relinquit. Mense Januario 1844 denuo nosocomium intrat; per tres hebdomades affuerat gonorrhoea, per octiduum conjunctivitis levis, et per aliquot dies rheumatismus, coxam et genu sin. inprimis infestans.

Observatio 5ta.

P. H. cæmentarius usque ad annum 1840 omnino sanus fuit; tum gonorrhoea — sub ejus decursu rheumatismus apparuit, primum in coxa dextra hærens, dein ad malleolos ejusdem lateris migrans. Quum tres menses in nosocomiis decubuisset, sanatus abiit. Per tres insequentes

annos rheumatismo non laborat, sed 1843 nova gonorrhoea exsistit — post 6 dies arthropathia genuum & pedum iterum apparet.

Observatio 6ta.

L. T., typographus m. Febr. 1847 afficitur gonorrhoea; balsamo copaivæ adhibito fere siluerat, quum accedit affectio genuum et articulationum pedum. Sanatus per nonnullos menses rheumatismo vacat — sed m. Julio novam sibi contrahit gonorrhoeam et mox iterum genua et articulationes pedum affecta sunt, qua de causa nosocomium Fr. intrat, ubi per duos circiter menses decubuit.

Observatio 7ma.

H. Ch. H. nosocomium com. intrat die 8 m. Octbr. 1845. Ante duos annos exstiterat post gonorrhoeam arthropathia manus & pedis dextri. Duobus mensibus antequam in nosocomium intravit novam sibi contrahit gonorrhoeam, post 7 hebdomades arthropathia manus & pedis sin. sequitur.

Observatio 8va.

P. C. N., antea semper sanus, nunquam rheumatismum passus, octo annos abhinc primam sibi contrahit gonorrhoeam — sub ejus decursu primum ophthalmia apparet, tum rheumatismus, qui cum remissionibus per duos circiter annos ægrotum vexat, omnia medicamina respuens, initio

in humero dextro hærens, dein alias articulationes imprimis coxam dextram infestans. Quum denique balneis maritimis cum effectu ut visum est adhibitis rheumatismus cessasset, per 5 annos fuit omnino sanus, et rheumatismo omnino non obnoxius, sed m. Octbr. 1846 gonorrhoeam novam sibi contrahit — 14 diebus post etiam rheumatismus apparet, maxime coxam sin. infestans, quamobrem nosocomia petit, et m. Septbr. 1847 nosocomium com. relinquit, meliore quidem statu, sed non plane sanatus.

En forma rheumatismi gon. gravis, et hoc in casu sicut in compluribus superiorum videmus rheumatismum gon., quando recurrat, eandem sibi formam inducere.

Observatio 9na.

F. V., die 5 m. Septbr. 1843 in sectionem chirurgicam nosocomii com. intrat; aderat tunc per 8 dies gonorrhoea (et ulcera superficialia glandis), per 4 dies ophthalmia utriusque oculi & dolor humeri dextri. Ophthalmia antiphlogisticis sanatur, rheumatismus varias articulationes aggreditur, ophthalmia autem revertitur gravior, iris invaditur, hypopyon utriusque oculi formatur, sed ope calomelanos hæc symptomata fugantur, atque eodem tempore etiam rheumatismus minuitur, ita ut d. 29 m. April. 1844 nosocomium relinquat.

Tum rheumatismo per duos annos & dimidium omnino vacat. Sed m. Octbr. 1846 nova gonorrhoea oritur — post 5 dies ophthalmia — post 8 rheumatismus, coxam dextram infestans. Ophthalmia post tres hebdomades sa-

nata — rheumatismus ad alias articulationes migrat, atque inprimis in genu dextro hæret, ubi hydarthrus formatur. Die 1 m. Febr. 1847 ophthalmia revertitur gravior, iris oculi sin. afficitur, exsudationes plasticæ formantur ad marginem pupillæ; ope mercur. sublim. corros. bene minuuntur; rheumatismus hoc intervallo decrescit, et die 1 m. Maii abit.

Hoc in casu, quando oritur gonorrhoea, non solum arthropathia revertitur, sed etiam et quidem modo simillimo ophthalmia.

Observatio 10ma.

Joh. S..., sutor, intrat nosocomium commune die 25 m. Augusti 1848. Mense Decembri 1847 gonorrhoea prima vice; sub ejus decursu rheumatismus coxæ sin. De m. Martio ad m. Augustum omnino sanus. Hoc tempore novam sibi contrahit gonorrhoeam, quam brevi postea rheumatismus ejusdem articulationis sequitur.

Observatio 11ma.

Georg N..., m. Novembri 1847 intrat nosocomium commune; per 10 hebdomades adest gonorrhoea — per 5 rheumatismus inprimis genua infestans. M. Januario nosocomium sanatus relinquit. Per totum ver et initium æstatis omnino sanus; m. Julio 1848 nova gonorrhoea et mox rheumatismus valde gravis genibus inprimis inhærens.

Observatio 12ma.

M..., tubicen, m. Januario 1848 gonorrhoea — mox ophthalmia — dein arthropathia genus dextri affectus est. Post 6 hebdomades sanatus est et dein rheumatismo omnino non vexatus est. Sed m. Septembri novam sibi contrahit gonorrhoeam, mox afficiuntur oculi;. in nosocomium militare, quod sub belli decursu ad Tirsbæk prope Veile instituebatur, die 5 m. Octobris transportatus est; die insequente genu dextrum dolere incipit, et post nonnullos dies hydarthrus ibi formatus est.

Quamquam hæ observationes sine dubio sufficiunt, tamen, quum dijudicatio hujus rei in hac disquisitione gravioris sit momenti, pauca alia addere conveniet.

Si lex enim, quam hic proposui, vera est, tum, etsi eam nusquam, quantum scio, apud eos, qui de rheumatismo gon. scripsere, commemoratam invenimus, tamen verisimile est, inter casus ab auctoribus relatos nos esse reperturos, qui sententiam nostram confirment. Atque ita sane res se habet, sed quum id non agerent, ut hanc regulam observationibus suis probarent, non notatum invenimus, ægrotine iis temporibus, quibus gonorrhoea non laborarent, etiam rheumatismo omnino vacarint, quod ad rem plane probandam necessarium est. Hoc tamen sæpissime accidisse existimandum est, quia fere semper ita referunt: „tum rheumatismus denuo ortus est", vel: rheumatismus iterum recurrit.

Inter primos, qui de rheumatismo gon. verba fecerunt, fuit Monteggia, chirurgus Italicus. Tres citat casus rheumatismi gon.[1]), quorum secundus historiam continet ægroti, qui, duobus mensibus post gonorrhoeam ortam, affectus est rheumatismo articulari valde pertinaci, qui tandem sponte sanatus est; quatuor annis post hunc impetum iterum gonorrhoeam sibi contraxit, et mox rheumatismus denuo apparuit.

Cumano[2]) et ipse medicus Italicus sex citat casus rheumatismi gon., quorum quartus exemplum præbet nostræ sententiæ. Refert enim, ab homine 22 annos nato se consultum esse, qui gonorrhoeam sibi contractam remediis purgantibus tractasset, quibus gonorrhoea sedata sit, sed tum orchitidem ortam esse ac paulo post tumorem genus. Cumano adhibuit pilulas e therebinth., quibus effluxus revertit, et post aliquantum temporis ægrotus sanatus est. Parvo temporis spatio præterlapso idem homo novam gonorrhoeam sibi contraxit; Cumano casus antecedentis memor methodum exspectativam adhibuit, sed rheumatismus tamen paucis diebus interjectis denuo apparuit.

Johannem Hunterum virum cel., qui gonorrhoeam ejusque effectus accuratissime et copiosissime descripsit, arthropathiam gon. non commemorasse satis constat. Inde nonnulli Angli recentiores, id quod huic genti haud paulum proprium esse mihi videtur, argumentum petunt, quo eam

---

1) Practische Bemerkungen über venerische Krankheiten im Deutschen übersetzt 1798.

2) Über den gonorrhoischen Gelenkrheumatismus von Cumano, Amtswundartz zu Triest. Behrends Syphilidologie 5 B. pag. 461.

sententiam probent, rheumatismum gon. re vera non inveniri. At Hunterus loco[1]) quodem refert, hominem se novisse, qui, quoties gonorrhoea afficeretur, id quod satis frequentur accidit, rheumatismo universali laboraret.

Illustrissimus Thomson[2]) refert casum rh. gon., qui iis, quos supra attuli, congruit.

Thomas E. 30 annos natus intra spatium 9 annorum ter passus est rh. articularem, qui semper sub decursu gonorrhoeæ, et quidem quando effluxus deminutus erat, oriebatur. Quum primum gonorrhoea laboravit, etiam ulcera et bubones aderant, quare mercurio tractatus est; qua sub cura credidit, se refrigerium contraxisse, sed nullam potest affere causam posteriorum rheumatismi impetuum, quorum secundum 9 mensibus post primum, tertium 4 annis post accidisse retulit. Gonorrhoea semper copaiva tractata est. Notandum est rheumatismum secundo impetu cum ophthalmia conjunctum fuisse.

Quum die 12 m. Julii 1836 in nosocomium North London Hospital vocatum acceptus est, jam ante unum mensem gonorrhoeam quartam cum effluxu largo sibi contraxerat, et tunc jam per hebdomadem rheumatismo, initio in coxa sin. hærente, postea genu & humerum ejusdem lateris aggrediente laborabat. Paulo antequam rheumatismo affici incepit, conjunctivitis utriusque oculi exstiterat. Neque causam hujus impetus rheumatismi afferre potuit, nec refrigerio expositus fuerat; Thomson præscripsit venæse-

---

[1]) Cfr. Foucart: considerations sur l'arthrite blennorhagique.

[2]) Lancet 1836—37.

etionem, postea præter alia medicamina inprimis calomel & opium āā (grij—pil. I sexta quaque hora). Casus valde pertinax erat.

Similem fere casum Liliewalch [1]) citat. Inter tres observationes ab eo relatas, una historiam continet ægroti, qui æstate 1837 ob gonorrhoeam in nosocomium militare Holmiense receptus est. Præscripti sunt pulveres cubeb. ℨII sexties de die; postridie articulatio pedis dextri valde tumida & dolorifica evasit, & diebus insequentibus halux affectus est, unde arthropathia iterum ad pedem migravit. Pulvere cubeb. ob febrilia seposito mox effluxus iterum apparuit, et dolores minuti sunt, sed pulv. cubeb. tum iterum assumpto, effluxus denuo siluit, & arthropathia revertit. Post 6 hebdomades nosocomium reliquit. Hieme ejusdem anni nova gonorrhoea et mox arthropathia exstitit. Versus autumnum 1838 octo diebus post coitum impurum arthropathia apparuit, et quidem antequam effluxus ex urethra observatus est. Impetus morbi hoc tempore valde gravis fuit.

Omnium forsan optimum exemplum vero regulæ nostræ A. Cooper vir cel. tradit. [2]) Narrat enim, ab homine gonorrhoea laborante se consultum esse, qui jam bis antea gonorrhoea affectus fuisset, ac semper, quando illo morbo vexaretur, primum ophthalmia tum arthropathia correptus esset; ægrotum, quum jam tertiam gonorrhoeam sibi contraxisset, magnopere timuisse, ne ophthalmia et arthropathia

---

[1]) Syphilidologie von Behrend 6 B. 1844 pag, 471.

[2]) A. Coopers chirurgiske Forelæsninger oversat af Blicher 3 B. pag. 144.

reverterentur, et re verà, quod Coopero, qui non antea ad rheumatismum gon. animum attendisset, valde mirum visum est, mox ophthalmiam, paulo post arthropathiam apparuisse.

Quibus omnibus allatis sententiam, quam proposui, satis confirmatam putare certe mihi liceat, et fortasse jam diu lector benevolus eam probatam existimavit, sed si parum in ea re commoratus sim, spero eum veniam mihi daturum esse, qui cogitet, si demonstrare mihi contigerit, arthropathiam his in casibus gonorrhoeam non fortuito sed necessitate quadem secutam esse, tum etiam hoc me probasse, gonorrhoeam re vera causam talis arthropathiæ fieri posse.

Ut vero jam ad argumentationem eorum, qui rheumatismum gonorrhoicum denegant, revertamur: et argumentum e raritate morbi ductum, et alterum e defectu rationis pathognomicæ petitum refutavi, sed concedendum est adhuc tantummodo illud probatum esse: inter gonorrhoeam et arthropathiam, quæ sub ejus decursu vel brevi post, nulla alia causa apparente, oritur, certam intercedere rationem; non simul illud: hanc affectionem esse morbum specialem. Quum, ut jam supra dixi, rheumatismus gonorrhoicus nullum symptoma pathognomicum præbeat, modo complexu symptomatum omnibusque morbi nostri conditionibus accurate examinatis, dijudicari potest; itaque sufficit, me certam illam rationem inter duas has affectiones demonstrasse, quæ vero restant, in ipsa disquisitione examinanda sunt.

Itaque primum disquiram, qualis sit illa ratio inter gonorrhoeam et arthropathiam; sitne gonorrhoea nil nisi

causa prædisponens, ita ut causa determinans velut refrigerium cet. ad morbum provocandum requiratur? An sit causa determinans, quæ certis conditionibus faventibus apud nonnullos ægrotos rheumatismum excitet? An arthropathia sit symptoma infectionis organismi, e viro quodam sive syphilitico sive speciali gonorrhoico ortæ?

His, quantum potuero, dijudicatis, dein describam morbum, ejusque symptomata, decursum, curam, et quo modo duas formas et inter se et a rheumatismo vulgari aliquantum differentes sibi inducat, tractabo.

Denique de pathogenia morbi disputabo, et quanti momenti sit rheumatismus gonorrhoicus ad illustrandam universam rheumatismi naturam, qui morbus plerumque modo physicis mutationibus tribuitur, exquiram.

Caput I.

De ratione, quæ intercedit inter gonorrhoeam et rheumatismum.

1.

Quum is modus, quo gonorrhoea causa fit arthropathiæ sub decursu ejus interdum orientis, varie statui possit, ii, qui hanc arthropathiam commemorant, rationem, quæ inter duas has affectiones exsistit, diversa via explicarunt.

Antequam sententias, quæ propositæ sunt, examinamus, notandum est, plerosque scriptores opiniones suas non distincte proposuisse; nam ea, quæ de morbo nostro scripta invenimus, quæque sine dubio 100–150 paginis contineri possunt, maximam partem tantummodo e casibus relatis constant; sed, quum cura magnopere dependeat de modo, quo hæc ratio explicetur, ex illa sola sæpe concludendum est, quæ sit eorum hac de re sententia.

Fabre [1]), chirurgus celeberrimus, ad rheumatismum, gonorrhoea provocatum, animum attendit. Is primus, quantum scio, inter dolores articulationum tendinumque, qui ulcus syphiliticum sequuntur, et eos, qui gonorrhoea effi-

---

[1]) Pierre Fabre, traité des maladies vénériennes. Prima editio 1748. Tertia 1778. Pag. 23.

ciuntur, distinxit. „Habitus horum, ait, fere nihil venerei præbet, fere omnino rheumaticis similes sunt, quales habendi erant, nisi indoles eorum venerea aliis rebus pateret". Eo maxime ei videntur differre a syphiliticis, post ulcus primarium ortis, quod mercurio non cedant. Ceterum hos dolores viro syphilitico in constitutionem introducto adscripsit. Hæc Fabri observatio postea neglecta fuisse videtur, donec tandem versus finem seculi proximi Swediaur [1]) vir ill. denuo arthropathiæ gon. mentionem fecit, morbo nomen gonocelæ imponens. Refert se 6-8 casus hujus morbi vidisse; dolores imprimis in genibus aut ad calcaneum hæsisse; post 15-20 dies dolores evanuisse, sed tumorem genuum per complures menses perdurantem remansisse. Quum in omnibus, quos observaverat, casibus, quando arthropathia exsistebat, effluxus urethralis cessaret, vel magnopere deminueretur, morbum metastasi oriri censuit, atque in hoc morbo sanando summam operam dabat, ut efffuxus revocaretur.

Eodem fere tempore (1794) Monteggia, ut jam supra indicavi, nonnullos casus rheumatismi gon. descripsit.

Is systemati Brownii valde deditus hunc morbum ex atonia, diæta restricta, quæ sub decursu gonorrhoeæ servari solet, provocata, oriri existimabat, et quum pluribus remediis maxime mercurialibus in usum vocatis vidisset, eos casus, in quibus omnino nihil adhibuisset, æque cito sanari, atque eos, qui medicaminibus tractati essent, eo perductus est, ut omnium optimum esse putaret, nulla me-

---

1) Swediaurius: über die Lustseuche, übers. von Kleffel. Berlin 1803.

dicamina adhibere, et modo, si quando dolores vehementiores exsisterent, opium ægrotis porrigere.

Itaque videmus scriptorum, qui hoc seculo de rheumatismo gon. disseruere, rationem, quæ intercedit inter rheumatismum et gonorrhoeam, suo quemque modo considerasse. Ex Monteggiæ quidem sententia gonorrhoea prædisponens modo causa rheumatismi articularis habenda est; Swediaurius autem statuit, gonorrhoeam causam arthropathiæ determinantem esse; Faber denique putavit, gonorrhoeam causam esse infectionis syphiliticæ, cujus inter symptomata dolores illos tendinum et articulationum ponendos esse.

Quando posthæc nostro seculo, primis decenniis interjectis, denuo rheumatismus gonorrhoicus commemoratur, easdem sententias, paullulum tantummodo mutatas, invenimus.

Itaque Autenriethus, vir cel., qui versus secundi decennii finem arthropathiam, quæ gonorrhoeam sequitur, descripsit, eam e corruptione constitutionis derivat. Notandum est, Autenriethum tum magnopere conatum esse probare, virus gonorrhoicum, quod gonorrhoea in organismum introduceretur, a viro syphilitico differens, re vera inveniri; atque ita arthropathiam gonorrhoicam infectionis gonorrhoicæ, non, ut apud Fabrem, syphiliticæ esse symptoma.

Eandem sententiam postea obtinuit Ritter [1]), qui ceterum sicut Authenriethus nulla attulit argumenta, e qui-

---

[1]) Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit und wesentlichen Verschiedenheit zwischen der Schanker- und Tripperseuche. 1819.

bus appareret, morbum non fortuito aggredi ægrotum gonorrhoea laborantem, neque ullam aliam rationem apud eos invenire potui, nisi vetustam illam: post ergo propter.

Eodem modo Eisenmann[1]) de arthropathia gon. judicat; sed ex ejus sententia morbus duobus modis apparet, partim ut metastasis, suppressam gonorrhoeam sequens, partim ut symptoma, viro gonorrhoico debitum (Erscheinung der wandelbaren Tripperseuche).

Primam earum morbi formarum, quarum diagnosin differentialem tamen statui non posse censet, gonorrhoea revocanda, alteram vero antiphlogisticis et arsenico aut decoctis mundificantibus tractari vult.

Inter syphilidologos recentiores duo inprimis, Wallace et Baumès, morbum inter effectus viri in corpus gonorrhoea illati posuere.

Wallaceus[2]) gonorrhoeam judicat esse catarrhalem syphilidis formam, quum vero jam satis constat, viro syphilitico, ulcere in corpus introducto, membranas fibrosas et synoviales affici posse, nihil impedit, quo minus, qui gonorrhoeam non nisi aliam syphilidis formam ducat, idem putet, virus syphiliticum, hac via in organismum receptum, easdem telas aggredi posse. Concedit autem Wallaceus, quum casus occurrant, in quibus rheumatismus effluxu urethrali, e nulla contagione syphilitica orto, stipetur, atque ita sympathia inter urethram et articulationes admittenda sit, rheumatismum gon. etiam tali organorum sym-

---

[1]) Eisenmann. Der Tripper in allen seinen Formen und in allen seinen Folgen. Vol. 1-11. 1830.

[2]) Wallace: treatise on the venereal disease 1838.

pathiæ deberi posse, itaque maxime ad eam sententiam inclinat, ut rheumatismum gon. mox illo mox hoc modo oriri putet.

Baumès[1]), qui virus speciale gonorrhoicum statuit, eos modo casus rheumatismi gon., qui blennorrhagia chronica protracta provocentur, e diathesi in organismo gonorrhoea nata oriri sensit, sicut symptomata syphilitica secundaria et tertiaria non continuo post ulcus primarium apparens, sed haud mediocri temporis spatio interjecto, exsistant.

Si vero rheumatismus in stadio gonorrhoeæ acuto oritur, credit eum vel refrigerio cet. vel metastasi gonorrhoeæ, cura intempestiva aliove modo suppressæ, adscribendum esse.

Morbum semper metastasi deberi, ut supra dictum est, Swediaurii erat sententia, quam, quum secundo et tertio decennio hujus seculi mentio rheumatismi gon. denuo fieri coeperat, multi secuti sunt. Ita Cullerier sen.[2]), qui morbum nomine tumoris albi blennorhagici descripsit, hanc arthropathiam oriri censet, quum irritatio, effluxu cessante, ex urethra ad articulationes migrat, sed ut hoc fieri possit, ex ejus sententia et diathesis specialis, aut scrophulosa, aut rheumatica, aut arthritica, et causa determinans, ut violentia externa, refrigerium cet. requiritur. Quum igitur morbum per metastasin oriri putet, effluxum quam citissime revocare hortatur.

---

[1]) Baumès: précis théoriques et pratiques sur les maladies vénériennes. T. II. pag. 27—29.

[2]) Dictionnaire de médecine en LX Vol. — Vol. III.

Quod idem suadet Lagneau; non ita Gibertus[1]), etsi sicut hi morbum metastasi oriri credit. Ceterum Gibertus nonnullis etiam aliis locis a scriptoribus supra nominatis dissentit, velut quando morbum semper idque brevi temporis spatio prorsus sanari, sæpissime talum afficere, similia affert.

Eodem tempore et fortasse etiam paulo antequam hæ quæstiones hoc modo in Gallia examinabantur, nonnulli chirurgi Anglici arthropatiam gon. exquirere coeperunt.

Primus quidem, quantum scio, Broddie[2]), vir summi ingenii, in disquisitionibus, quas de morbis articulationum composuit, nostri morbi mentionem fecit. Sed in opere ejus nil nisi historias decursum morbi, complicationes ejus, atque curam in usum vocatam perhibentes invenimus; ac quum in his disquisitionibus animum maxime ad studium arthropathiarum converteret, gonorrhoeam neglexisse videtur, atque ideo in observationibus huc pertinentibus allatis non indicatum invenimus, utrum effluxum revocandum esse censeat, annon, aut quo modo, si sub decursu rheumatismi gon. persistat, tractandus sit.

Lawrence et Thompson fere nihilo magis quam Broddie gonorrhoeæ rationem habuerunt.

Itaque Lawrence in prælectionibus suis præclaris[3]) symptomata, complicationes exitusque rheumatismi gon. describens: „omnium horum symptomatum, inquit, basis

---

1) Traité des maladies vénériennes.

2) Observations on the diseases of the joints.

3) Lectures 1830—31. Lancet 1831. Vorlesungen von Lawrence übersetzt von Behrend.

est constitutio propria, ad rheumatismos contrahendos maxime propensa; quare in morbo curando localia remedia non sufficiunt, sed constitutio semper spectanda est. Primum venæsectio instituenda est, dein, remedio purgante porrecto, mercurius etiam ad salivationem summam vim exserere mihi visus est."

Thompson huic prorsus assentiebatur.

Sed nonnulli chirurgi Anglici rem alio modo judicarunt; Titley et Astley Cooper statuerunt, rheumatismum gonorrhoicum iisdem tantummodo medicaminibus tractandum esse, quæ ad gonorrhoeam sanandam adhibentur, veluti bals. copaivæ, ol. therebinth., alia. Eadem ratione Cumano quoque morbum tractari placet.

Quo tempore Titley & A. Cooper in Anglia hanc curam suaserunt, Ribes [1] et Velpeau eam in Gallia commendavere. Constat Ribesium doses majores balsami copaivæ non solum ad gonorrhoeas, sed etiam ad morbos consecutivos curandos magnopere laudasse. „Inter hos, ait, duos casus tumoris genus valde dolorifici post gonorrhoeam subito suppressam ortos observavi, in quibus bals. copaivæ per 12 dies cum successu adhibitum est, ægrotique, nullis aliis medicaminibus adhibitis, sanati sunt."

Similem curam cel. Velpeau [2] in præclaris suis prælectionibus suadet, excepto quod bolos e bals. copaivæ & pulv. cubeb. formatos præfert. Ceterum Velpeau neque balsamo copaivæ ullam vim ad morbum provocandum attri-

---

1) Revue médicale 1822.

2) Velpeau: Clinique chirurgicale T. III. Dictionnaire de médecine et chirurgie en 30 Vol. Tom. IV.

buit, neque ei magni interesse videtur, utrum arthropathia oriente effluxus sileat an persistat.

Bonnet[1]), qui de morbis articularibus opus eximium scripsit, tum primum balsamum copaivæ adhibere suadet, quando status inflammatorius remediis antiphlogisticis jam fugatus est. Ceterum eos modo casus ad rheumatismum gon. pertinere censet, in quibus arthropathia, effluxu urethrali subito silente, sine alia causa cognita oriatur.

Foucart[2]), in cura omnino Velpeau secutus, ideo effluxum, si silet, non revocari, sed si persistit, tractari vult. Ceterum is illos quoque casus ad rheumatismum gon. pertinere statuit, in quibus, effluxu haud sedato, rheumatismus oritur.

Holscher[3]) in rheumatismo gon. tractando minus effluxum spectat, quam gonorrhoeæ sequelas, stricturas et hyperæsthesiam loci urethræ circumscripti, cui statui multam vim ad morbum protrahendum tribuit. Itaque etiam suadet, si morbus non brevi terminatur, cereolos inducere; præterea pilulas e mercurio sublim. corros valde efficaces esse existimat. Ceterum tres formas statuit rheumatismi gon. 1) metastaticam, 2) acutam, 3) chronicam; de modo autem, quo gonorrhoea rheumatismum provocet, sententiam proponere non audet.

Versus finem secundi hujus seculi decennii magna orta est inter syphilidologos controversia de usu mercurii

---

1) Traité des maladies des articulations. Tom. I. Pag. 376.

2) Quelques considerations pour servir à l'histoire de l'arthriste blennorrhagique.

3) Holschers Annalen. Neue Folge 4 Jahrgang 1844. Pag. 133.

in syphilide curanda, multique contendebant, complura symptomata, quæ vulgo ad morbum ipsum relata essent, huic remedio solo adscribenda esse. Itaque non mirandum est, si eodem tempore eam sententiam propositam invenimus, rheumatismum gon. non gonorrhoeæ sed balsamo copaivæ deberi.

Eagle[1]) Anglus, cui casus arthropathiæ gon. ad hanc opinionem confirmandam sat aptus illo tempore sese præbuerat, hanc sententiam probare conatus est; morbum igitur non rheumatismum gon., sed rheumatismum copaivalem appellari voluit, negavitque, gonorrhoeam, si remediis antiphlogisticis tractaretur, unquam rheumatismum afferre.

Huic Maddok[2]) plane assentitur, rationemque historia morbi probari censet, qua tantummodo traditur, hominem, qui sub decursu gonorrhoeæ balsamum copaivæ adhibuisset, rheumatismo affectum esse.

Anno præterito denique Pauli[3]), qui sagacitatem Eaglii valde admirari videtur, non observationibus sed theoriis tantummodo idem probabile reddere conatus est.

Videmus igitur, historia rheumatismi gon. perlustrata, scriptores de ratione, quæ inter gonorrhoeam et rheumatismum intercedit, summopere dissentire. Sententias eorum forsan in has classes redigere liceat:

---

[1]) Lancet 1836—37.

[2]) Lancet 1836—37.

[3]) Walter und Ammon: Journal für Chirurgie und Augenheilkunde. 6 B. 3 H. 1847.

1) Gonorrhoea est causa prædisponens (Monteggia et Cullerier sen.).

2) Gonorrhoea est causa occasionalis, constitutione singulari prædisponente (Lawrence, Thompson, Velpeau).

3) Rheumatismus metastasi oritur, gonorrhoea silente (Swediaur, Lagneau, Gibert, Bonnet).

4) Rheumatismus symptoma *gonorrhoicæ* organismi infectionis habendus est (Autenrieth, Ritter, Eisenmann, Baumès).

5) Rheumatismus symptoma est *syphiliticæ* organismi infectionis (Fabre, Wallace).

6) Rheumatismus ex usu balsami copaivæ oritur (Eagle, Maddok, Pauli).

Sed antequam ad has sententias dijudicandas transeo, primum conditiones, quibus vel determinantibus, vel faventibus rheumatismus gon. oritur, examinabo, ad quam disquisitionem 65 observationes, in nosocomio com. & Fridericiano collectæ, mihi præsto sunt.

Numerus horum casuum, qui fere omnes spatio inter a: 1843—48 interjecto includuntur, haud magnus quidem est, sed tamen vix exiguus habendus est, si consideratur, numerum omnium morbi nostri casuum, qui hucusque a variis scriptoribus relati sunt, hunc vix superare. Ita v. c. Foucart, qui omnes casus in Gallia usque ad a: 1844 descriptos collegisse videtur, non nisi 16 casus et quidem maxima ex parte minime accuratos invenire potuit, iisque ipse duos modo addit. In aliis vero terris numerus casuum descriptorum sine dubio viginti non superat. Ceterum fere omnes, quos in hac dissertatione in extenso

relaturus sum, casus ipse observavi, ac si in nosocomio ægrotos observare mihi non contigit, eos postea, quantum mihi copia fuit, in urbe quæsivi, ut relationes eorum de morbo cum diariis nosocomiorum comparare possem.

2.

Conditiones, quæ vel favent morbo vel eum provocant, partim in ipso ægroto, partim extra eum quærendæ sunt.

Examinemus jam primum conditiones, quæ ægrotis inhærent.

Sexus.

Inter causas ad rheumatismum gon. prædisponentes sexus magni est momenti. Constat enim rheumatismum gonorrhoicum multo complures afficere viros quam feminas. Inter omnes casus, quos hic collegi, ne unus quidem rheumatismum gon. apud feminam observatum præbet, quamquam omnia scorta, quæ scilicet blennorrhoeis maxime exposita sunt, in nosocomiô com. decumbunt. Sed tamen nequaquam equidem ea sum sententia, morbum non posse feminas aggredi, sed rarissime id accidere certum duco. Iam Autenriethus „fere semper viros invadit, ait, hæc arthritis localis"; idem complures alii monent, atque inter casus rheumatismi gon. ab scriptoribus relatos unum modo reperire potui, in quo morbus feminam aggressus esse dicitur. Ille casus a Blatin et Nivet[1]) relatus occurrit.

---

[1]) Traité des maladies des femmes, qui déterminent des fleures blanches pag. 165.

D.... 23 a. nata intravit in nosocomium Parisiense de Lourcine vocatum. Hæc femina constitutionis lymphaticæ per longum tempus leucorrhoea periodice apparente, colica stipata, laborabat. Tunc quidem gonorrhoeam sibi contraxerat, sed neglexerat; gonorrhoea autem fere omnino sedata, genu sinistrum tumere incepit. Sentiebat in hac articulatione dolores obtusos, qui flexione augebantur. Ægrotæ in nosocomium receptæ genu sinistrum fluctuationem manifestam præbuit, patella elevata erat, cutis coloris normalis. Haud sanata post aliquot dies nosocomium reliquit.

Alterum casum huic similem, quem autem non describunt, a se observatum esse referunt; tantummodo auctores adnotant, morbum etiam in hac ægrota articulationem genus occupasse, quod haud bene congruit cum sententia Iulii Cloqueti, hominis ill., qui rheumatismum gon. feminarum sæpissime articulationem coxo-femoralem afficere confirmat. Hanc sententiam postea reperi a compluribus divulgatam, sed nullis observationibus fundatam, id quod, quum ipsum opusculum, in quo hanc sententiam proposuit, nancisci mihi non contigerit, valde deploro. Iul. Cloquet enim est autor, in cujus sententiis summam fidem ponam. Itaque necesse est in medio relinquamus, quænam articulatio apud feminas sæpissime sit sedes rheumatismi gon., et sufficiet affirmare, morbum rarissime feminas aggredi.

Equidem autem hoc non parvi credo interesse ad probandum, rheumatismum gon. re vera esse morbum specialem. Nam si rheumatismus fortuito modo ad gonorrhoeam accederet, nulla sane erit causa, cur fere nunquam

talis complicatio accideret in feminis, quæ etiamsi minus frequenter, tamen satis sæpe et rheumatismo et blennorrhoeis *genitalium* specificis laborant. Aliter autem res se habet, si ponimus, gonorrhoeam esse causam rheumatismi et affectione canalis urethræ hanc arthropathiam provocari; nam, hoc posito, morbum rarissime feminas aggredi necesse est. Constat enim blennorhagiam *urethralem* esse morbum in feminis minime frequentem, atque si, quod certe licet, ponimus inter 20 feminas, blennorrhagiis specificis affectas, unam modo blennorrhagia urethrali laborare, et altera ex parte inter 50 ægrotos, blennorrhagiis urethralibus obnoxios, modo unum rheumatismo gon. affici, facile accidere potest, ut ex mille feminis, blennorrhagiis specificis affectis, una modo rheumatismo gon. corripiatur. Huc accedit, quod nonnullæ conditiones, quæ magnopere ortui rheumatismi gon. favere videntur, velut stricturæ, rarissime in feminis occurrunt.

Ætas.

Quum omnino homines inter vigesimum et quadragesimum ætatis annum versantes morbis venereis maxime expositi sint, tum ægrotorum, qui nostro morbo obnoxii fuerunt, plerique intra hos fines quoque includuntur. Ex 65 ægrotis plerique 24—28 annos nati fuere. Duo modo 40 annos superaverunt, quum morbo nostro prima vice affecti sunt; unus modo 16 a. natus erat.

Habitus, constitutio, similia.

Fere omnes, quos ipse observavi, habitum sanum, quin etiam persæpe floridum præbuerunt. Nonnulli constitutionis lymphaticæ, sed raro notabili gradu, mihi vide-

bantur. Temperamentum fere omnes, quos observavi, sanguineum, quod vocant, præbuerunt, neque unquam phlegmaticum distinctum se obtulit.

Hereditas vero, quæ in rheumatismo vulgari satis magni momenti est, quid ad morbum nostrum provocandum efficiat, admodum difficile est dijudicatu. Nonnullos ægrotos quæsivi, utrum parentes rheumatismo laborassent, sed responsum fuit fere semper negativum.

Alii morbi vel dispositiones morbosæ.

Gonorrhoeæ, quæ has arthropathias efficiunt, fere semper chronicæ sunt, atque etiamsi interdum, oriente rheumatismo, hoc nondum appareat, postea sæpissime tales evadunt; ita ut inter 65 casus rheumatismi gon. in 51 gonorrhoea chronica fuit, duratio autem ejus in 7 dubia, in 7 verisimiliter acuta.

Quæ quum ita sint, exspectandum erat, fore ut, quæ momenta magnam vim haberent ad gonorrhoeas chronicas reddendas, eandem quoque ad rheumatismum gon. provocandum exsererent, ita v. c. gonorrhoeæ prægressæ, stricturæ, usus intempestivus bals. copaivæ vel pulveris cubeb., negligentia, alia similia, quarum rerum jam hoc loco gonorrhoeæ antecedentes et stricturæ commemorandæ sunt.

Inter 57 ægrotos notatum invenio viginti gonorrhoeis antecedentibus antequam rheumatismo gonorrhoico laborasse; sed hic numerus sine dubio nimis exiguus habendus est, quum ægroti gonorrhoeas et præsentes et antecedentes frequenter celent.

Si in 65 casibus decies modo stricturam urethræ annotatam invenimus, hoc sine dubio ei rei tribuendum est,

quod gradus stricturæ leviores et ægrotos et medicos facillime effugiunt; ultimo modo tempore hanc ad rem animum converti, sed non dubito, quin, si antea attendissem, plus quam decem exempla afferre potuissem. Fere semper in casibus, quos proximo tempore vidi, si non stricturam, certe hyperæthesiam loci urethræ circumscripti 5 circiter pollices pone orificium urethræ siti, reperi; hæc sine dubio signum lentæ inflammationis localis, atque fortasse primum stricturæ initium haberi potest.

Si hæc inflammatio aut strictura, effluxu gonorrhoico sedato, remanet, fieri potest, ut rheumatismus jam fugatus, nulla nova infectione accedente, hac inflammatione urethræ locali vel excessu vel alio modo exacerbata, revocetur. Erat hæc causa, cur, quando supra hanc sententiam proposui, rheumatismum gon. non reverti, nisi nova gonorrhoea existeret, addidi verba dummodo illa gonorrhoea nullis residuis relictis pariter atque arthropathia omnino sanata sit.

Quibus finibus positis regula minime labefieri sed potius firmari mihi videtur, nam hoc facto eadem causa (rationem dico, quæ inter affectionem urethralem et rheumatismum intercedit) efficit, ut rheumatismus denuo oriatur, et quando nova provocatur gonorrhoea, et quando rheumatismus quasi sponte excitari videtur; statui enim licet, quamdiu idem status pathologicus in urethra persistit, magnam adesse ad novos impetus rheumatismi contrahendos proclivitatem. Cui congruenter sæpius sub impetu rheumatismi magis diuturno arthropathiam, quum effluxus, talibus residuis relictis, excessu, refrigerio vel alio modo augeretur, exacerbari vidi. Cujus rei exem-

plum v. c. is præbuit, quem observatione octava commemoravi. Quum enim quinque annis post gravissimum rheumatisimi gon. impetum, nova gonorrhoea m. Octbr. a. 1846 orta, mox dolores lumborum et coxæ dextræ cum contractionibus spasmodicis extremitatis inferioris dextræ conjuncti exstitissent; hæc symptomata post duorum mensium in nosocomiis decubitum ita mitigata erant, ut ea relinquere et negotiis suis vacare valeret; sed m. Aprili a. 1847 effluxus urethralis, qui semper hoc intervallo, quamquam perexiguus, persliterat, subito, coitu impuro nullo prægresso, magnopere auctus purulentusque factus est et mox dolores coxæ dextræ, qui jam fere siluerant, graviores exstitere, contractiones spasmodicæ iterum apparuere, neque amplius negotiis suis vacare potuit, quamobrem nosocomium com. denuo petere coactus est. Ibi, quum effluxus sedatus esset balsamo copaivæ et injectionibus, exploratione urethræ ope cereoli instituta, hyperæsthesia notabilis loci circumscripti 5 circiter pollices ab orificio reperta est. Hic locus instrumento, quod portecaustique Lallemandii vocatur, tactus est, quo facto mox dolores lumborum et coxæ dextræ, qui per plures menses nil fere mutati restiterant, ita deminui observati sunt, ut aliquot diebus post, quum bene ambulare valeret, e nosocomio exire ipse postularet. Si tales exacerbationes vel novi impetus sæpius et intervallis interjectis majoribus nonnihil æqualibus apparent, error sane et in diagnosi et in prognosi morbi facile oriri potest, atque ita sæpe non gonorrhoea causa rheumatismi, sed rheumatismus causa gonorrhoeæ existimatur. Multæ observationes, ascripto-

ribus ut exempla blennorrhagiæ rheumaticæ sive arthriticæ relatæ sine dubio huc pertinent, et de proclivitate inflammationum urethræ chronicarum ad arthropathias, conditionibus faventibus, provocandas dependent, quod illustrantem forsan hoc loco mihi liceat casum referre.

Observatio 13ma.

E stirpe sana ortus *M*.... mercator 20 a. natus 1838 primum gonorrhoea affectus est, quæ ope balsami copaivæ sanata est.

Anno 1839 nova gonorrhoea infectus est. Versus finem a. 1840 tertiam gonorrhoeam sibi contraxit, quæ epididymitide complicata est; dum hic morbus adhuc perdurat, ægrotus in aqua conglaciata ambulans subito paralysi musculorum lateris sinistri facici correptus est. Tum nosocomium Fr. petiit, et post tres hebdomades plane sanatus abiit.

Anno 1841 quartam sibi contraxit gonorrhoeam. Morbus circiter octo dies perstiterat, quibus nulla medicamina adhibuerat, quum febrilia levia exstitere, et genu dextrum tumere & dolere coepit. Lectum tenere coactus medicum consuluit, quem tamen gonorrhoeam celavit, quæ mox post invasionem rheumatismi magnopere decreverat. Adhibuit tunc tantummodo Mixt. camphorat. &
Liniment. vol. camph.

Sub decursu morbi etiam alterum genu affectum est, et, decem circiter hebdomadibus præterlapsis, omnino sanatus est.

Initio mensis Octbr. anni 1842 in nosocomium Fr. ob hydarthrum genus sinistri receptus est. Quatuordecim circiter diebus ante introitum effluxus exstiterat urethralis, quem, quum eodem anno uxorem duxisset, nulli novæ infectioni sed vigiliis adscribendum esse censebat, et jam tunc per longius tempus, antequam effluxus apparuit, stranguria laboraverat. Ceterum octo diebus post gonorrhoeam exortam dolores vagantes cum febrilibus conjuncti exstitere, ad quos accessit ophthalmia cum notabili oculi injectione et epiphora. Ophthalmia autem brevi fugata tumor dolorificus primum articulationis pedis dextri, dein genus sinistri ortus est. Tunc quoque gonorrhoeam celavit, quæ paulo post invasionem rheumatismi fere siluerat. Hac vice remediis anthiphlogisticis et antirheumaticis tractatus est, ita porrectum est interne

Nitrum

primum ut mixtura nitrosa (ʒII—℥VIII), dein cum essentia stibii conjuncta, denique

Mixtura camphorata,

præterea — Ol. jecinoris aselli
℥ß 4 de die;

externe — Hirudines
Cataplsm. saturn.

et præterea — Balnea Russica

versus finem morbi, qui 12 circiter hebdomades perduravit, et sub cujus decursu alterum quoque genu et articulatio sterno-clavicularis dextra affecta sunt.

Anno *1843* valetudine bona gavisus est.

Exstitit postremis anni *1844* mensibus effluxus ure-

thralis et octo circiter diebus post, effluxu decrescente, arthropathia genuum. Eodem ac arthropathia tempore etiam ophthalmia levis brevi fugata apparuit. Tunc domi decubuit, et

Hirudines,
Cataplasma.

tantummodo adhibuit, nulla autem remedia interna. Morbus post idem fere temporis spatium, atque antea, 10—12 hebdomadum, desiit.

Initio m. Novbr. anni *1845 M....* ob hydarthrum genus sin. nosocomium Fr. petere coactus est. Tunc quoque effluxus urethralis, qui, ut antea, arthropathiam antecesserat, nullam mentionem fecit, sed lapsum in platea accusavit. Quam ob causam externis tantummodo remediis tractatus est:

Cucurbitis,
Vesicatoriis & denique
Balneis Russicis.

Octo hebdomadibus præterlapsis nosocomium sanatus reliquit. Sed jam tunc præter stranguriam intercurrentem radium urinæ deminui animadverterat.

Post nonnullam in usu spirituosorum intemperantiam effluxus urethralis hieme a. *1846* exstitit, mox oculi affecti sunt, deinde rheumatismus apparuit. Tunc domi decubuit.

Vesicatoriis &
Balneis Russicis

adhibitis post novem circiter hebdomades sanus erat.

Denique anno *1847* solito modo affectus est. Apparuit enim primis diebus m. Augusti, post abusum cereviciæ

Bavaricæ effluxus urethralis, et mox arthropathia secuta est; genu sinistrum enim tumidum et dolorificum evasit, et dolores vagantes coxarum exstitere.

Hirudinibus pluries applicatis hydarthrus genus deminutus est, sed tum articulatio maxillæ inferioris sinistra affecta est, motus articulationis magnopere impeditus erat, et pressio ante auriculam hujus lateris, ubi etiam tumor apparuit, sat dolorifica sentiebatur. Dolor inde versus oculum sinistrum sese tetendit, photophobia exstitit, et conjunctiva scleroticæ injecta est. Injectio diebus insequentibus aucta est, conjunctiva scleroticæ effusione serosa elevata, vasa distincta supra marginem corneæ sese tendebant, sclerotica quoque affecta videbatur, ipsa cornea paululum obfuscata erat, et in parte ejus inferiore nubecula conspiciebatur, iris quoque nonnihil læsa videbatur. Dolores vehementes questus est, inprimis ad marginem supraorbitalem sinistrum hærentes, unde ad regionem temporalem progressi sunt, quæ symptomata sat gravia tamen post 14 circiter dies, cura idonea adhibita, evanuere, obfuscatione levi visus, modo paulatim recedente, excepta.

Hoc fere tempore ægrotum observare mihi contigit. Fuit 30 a. natus, pallidus, habitus, ut mihi visum est, nonnihil scrophulosi. Tum quidem imprimis accusavit dolores genus sinistri et manus dextræ. Hydarthrus genus, qui ante tres circiter hebdomades omnino evanuerat, diebus proximis (initio m. Octbr.) denuo apparuerat, et cito magnopere eodem increverat tempore, quo effluxus urethralis, qui semper ab initio levi gradu perstiterat, deminutus

erat. Genu erat tumidum, fere omnino non dolorificum, nisi in condylo interno tibiæ pressio dolorem levem provocabat. Tumor cuti concolor erat, formam capsulæ et fluctuationem manifestam præbens. Ceterum articulationem sat bene movere, quin etiam pedibus niti valebat. Dolores vespere plerumque et versus mutationes aëris exacerbari, calore deminui retulit.

Articulatio manus, quæ jam primis diebus, postquam in nosocomium intravit, affici coeperat, leviter tumida etiamtum erat, et motus ejus paululum impeditus, ceterum fluctuatio ibi nulla apparuit.

Præterea dolores intercurrentes articulationis maxillæ inferioris sinistræ sub masticatione questus est; ceterum nihil abnorme ibi indagatum est. Visus erat etiam tum leviter obfuscatus, sed cornea omnino clara. Stranguria simul nonnulla radiusque urinæ sat tenuis observata sunt; ope cereoli strictura circiter 5 pollices pone orificium urethræ inventa est, per quam cereolus N°. $2\frac{1}{2}$ vix perduci potuit.

Ceterum febris nulla fuit, somnus interdum doloribus turbatus est, urina clara, aurantiaca; sedimentum lateritium neque adfuerat neque aderat. Sudor nullus.

Proximo tempore tussis accesserat sat molesta cum expectorato mucoso, frustulis mollibus puriformibus intermixtis; signa physicalia autem nihil abnorme præbuerunt.

Hac vice tractatus est Cannab. picea circa articulationes affectas,
Vesicatoriis inprimis genuum,
denique Balneis Russicis.

Tribus mensibus prælerlapsis nosocomium reliquit.

Memoratu hic quoque dignum est, ægrotum ab anno 1840–46, impetu ipso rheumatismi quotannis finito, semper sanum fuisse, et certe omnino non rheumatismo laborasse, donec effluxus denuo accessisset, sed intervallo 1846–47 jam non prorsus liberum fuisse, nam mense Aprili dolores sat vehementes coxæ dextræ accessisse. Nunc vero post nosocomium relictum motus normalis reversus est ille quidem, sed genua tamen interdum nonnihil tument et dolent, hydarthrus præterea subito apparet, qui tamen quiete mox iterum evanescit.

Jam si hanc observationem uno conspectu consideramus, videmus virum per seriem annorum unoquoque fere anno et quidem eodem tempore rheumatismo affectum esse; atque effluxum urethralem non solum seriem symptomatum adducere, sed etiam sicut primum eorum exsistere. Porro quum ægrotus proximis, postquam uxorem duxerit, annis, contagioni sese exposuisse neget, hic casus summam analogiam præbet cum iis, qui ab auctoribus [1]) ut exempla effluxus urethralis acrimonia rheumatica vel arthritica effecti referuntur.

Non mea sententia est contendere, rheumatismum vel arthritidem effluxum urethralem non posse provocare, nam quemadmodum admitto, gonorrhoeam efficere posse rheumatismum, ita, etsi nulla ejus rei exempla ipse vidi, nolim negare, hunc illam efficere posse, sed tantummodo censeo, si tales casus ad gonorrhoeam rheumaticam sive arthriti-

---

[1]) Cfr. Stoll, Barthez, Cullerier, Lagneau, Gibert cet.

cam probandam vim aliquam habere scriptores velint, necesse fore, simul adnotent, utrum ægroti stricturis laborent necne, nam si tales adfuerunt, ratio plerumque quidem dubia erit.

Ceterum patet, hunc casum omnino confirmare regulam in introductione propositam; initio enim morbi res omnino ita se habuit, ut ibi commemorata erat; gonorrhoea scilicet exsistit — oritur arthropathia; uterque morbus sanatur, tum spatium liberum intervenit, dein nova gonorrhoea — mox nova arthropathia — cet.; jam hic casus tum demum ab illis differre incipit, quando gonorrhoea non plane sanatur, sed reliquiæ ejus restant.

Casus huic similes haud raro sine dubio occurrunt; ita in hoc nosocomium intravit a. 1843 vir 36 a. n. Petrus L...., qui per decem annos pluries affectus erat gonorrhoeis et arthropathiis has insequentibus, et arthropathiam bis sine novo effluxu gonorrhoico sibi ortam esse retulit; laborabat autem hic homo strictura, ita ut modo cereolus Nr. $\frac{1}{2}$ perduci posset.

Idem præterea, quum a. 1843 nosocomium intravit, laborabat ophthalmia (sclerotitide & conjunctivitide) quæ 4 hebdomadibus post effluxum simul cum arthropathia exstiterat.

Plures similes casus afferre poteram, nisi timerem, ne lectorem fatigarem, quamobrem tantummodo addam, etiam apud scriptores exempla hujus rei inveniri; Broddie [1]) quidem vir cel. refert casum, in quo homo arthropathia

[1]) l. c. pag.

gonorrhoica affectus strictura quoque laboravit. Ille ægrotus brevi annorum spatio quater hoc morbo correptus erat; inflammatio urethræ semper primum fuerat symptoma, huic proximum ophthalmia mox insecuta est, dein arthropathia, fere omnes articulationes aggrediens. Bis effluxum urethralem contagioni, cui sese exposuerat, bis autem cereolis ob stricturam inductis adscripsit.

b) *Syphilis.*

Casus examinans, quos ad hanc disquisitionem collegi, 12 ægrotos inter 57 invenio retulisse, se antea syphilide laborasse; num ideo syphilis causa ad rheumatismum gon. prædisponens habenda est?

Minime credo; nam haud sane mirandum est, si inter tantum ægrotorum numerum ad eam classem pertinentem, quæ sine dubio omnium maxime contagioni sese exponit, aliquot certe inveniuntur, qui syphilide affecti fuerint.

Ceterum eos casus, in quibus syphilis antegressa erat, cum reliquis comparans, nullam inveni differentiam, quare equidem censeo, syphilidem in nostro morbo provocando nullam vim exercere.

c) *Rheumatismus vulgaris.*

Inter 57 ægrotos 10 indicavere, se antea rheumatismo vulgari obnoxios fuisse, duos quidem febri rheumaticæ, 8 doloribus vagantibus cet.; sed quum hi quoque casus nihil singulare præbeant, et hic numerus non major sit, quam ut morbum nostrum his in casibus fortuito eos aggressum esse, antea rheumatismo vulgari passos, censere liceat, erui sine dubio non potest, rheumatismum vulgarem ad rheumatismum gonorrhoicum prædisponere. Simul monen-

dum est huic numero non plane fortasse confidendum esse; nam inter 10 illos casus nonnulli certe sunt, in quibus vulgaris rheumatismus referatur quidem antecessisse, sed re vera rheumatismus gon. prægressus sit.

Jam si reliquas conditiones, in ipsis ægrotis non inhærentes, disquirimus, ad *medicamina* primum animus convertitur.

Itaque e 57 ægrotis 18 balsamum copaivæ, 5 bals. copaiv. et pulv. cubeb., 4 tantummodo pulv. cubeb., 16 modo theam demulc., 4 omnino nihil sumpserunt, et in 10 casibus indicatum non invenio, num ulla aut quæ medicamina adhibita sint. Vidimus igitur in $\frac{3}{8}$ parte casuum balsamum copaivæ adhibitum esse, sed utrum hic numerus magnus habendus sit annon, inde dependere mihi videtur, mosne sit hac in terra, hoc remedium frequentius contra gonorrhoeas adhibere; nam si apud nos dimidia gonorrhoearum pars balsamo copaivæ tractantur, tum recte non mirandum est, si dimidia quoque pars eorum, qui rheumatismo gon. afficiuntur, ante impetum morbi hoc remedio usi sunt. Sed hæc res dijudicatu valde difficilis videtur; fortasse vero h. l. liceat nonnullas adnotationes, alio loco a me propositas, assumere. In „Ugeskrift for Læger" 1847, pag. 236 et sqq. retuli 141 ægrotos gonorrhoea laborantes intervallo temporis a m. Decembris a. 1846 ad m. Septembris a. 1847 in sectione chirurgica nosocomii com. decubuisse. Ex his balsamum copaivæ adhibuere 62, ergo circiter tres septimæ partes, et tamen notandum est ibi hoc tempore minus quam antea balsamum copaivæ adhibitum fuisse, quia tunc ea ratio go-

norrhoeas curandi, ex qua magnæ doses pulveris cubeb. (ʒi bihorio) adhibentur, accuratiori examinationi subjecta est; si nihilominus inter 7 balsamum copaivæ 3 adhibuere, id sat bene congruit cum hoc, quod inter 8 sub decursu gonorrhoeæ rheumatismo affectos 3 adhibuisse balsamum copaivæ reperimus; itaque censeo, numeris quidem non esse probatum, usum balsami copaivæ ad rheumatismum gon. disponere. Item numeris erui non licet, pulveres cubeb. minus quam balsamum copaivæ ad hunc morbum disponere, etsi 9 modo inter 57 eo remedio usi sunt; nam, quantum scio, ideo vulgo minus quam balsamum copaivæ apud nos adhibetur, quia pretiosius atque, etiamsi minus injucundum est et a plerisque melius hoc toleratur, alia ex parte certe minus efficax est. Huic congruit, quod inter 57 tres tamtummodo, qui ceterum quoque alia medicamina adhibuerant, injectionibus usos esse notatum invenio, nam hoc remedium sat raro apud nos in usum vocatur.

At quia numeris probari non potest, balsamum copaivæ aut pulveres cubeb. ad rheumatismum gon. disponere, certe concludi non licet, hæc remedia nullam omnino vim ad hunc morbum excitandum exserere. Occurrunt enim casus, qui tali opinioni faveant. Lector benevolus certe casum, a Liliewalch relatum, a me supra commemoratum, non oblitus est. Vidimus ibi homini gonorrhoea acuta laboranti doses magnas pulveris cubeb. (ʒii sexies de die) administratas esse; die insequente ægrotus arthropathia rheumatica affectus est, et eodem tempore siluit effluxus urethralis. Ob febrilia medicamina mutata sunt, dolores deminuti sunt, et effluxus revertit. Pulvere cubeb. tum iterum

repetito, effluxus denuo siluit et arthroprthia mox revertit. Huic alius casus ab Eagle[1]) relatus fere omnino similis est. Anno 1834, inquit, a viro consultus sum, qui laboravit arthropathia genus sinistri. Præterea dolores ad spinam anteriorem et superiorem ossis ilei et ad dorsum pedis questus est. Retulit ægrotus ante duos circiter menses gonorrhoeam se contraxisse, ejusque sanandi causa mox balsamum copaivæ simul cum pulvere cubeb., amico suadente, in usum vocasse. Hæc per octo dies adhibuerat, sed tum affectus erat impetu rheumatico ei simili, quo laborabat, quum Eagle consuluit; seposuit tunc balsamum copaivæ et remediis purgantibus atque fasciis adhibitis rheumatismus evanuit. Tum denuo balsamum copaivæ et pulveres cubeb. adhibere coepit, atque iterum et quidem secundo die rheumatismus apparuit. Balsamo copaivæ per septimanam seposito rheumatismus iterum evanuit. Iam ipsi satis manifestum fuit, hoc remedium morbum excitare, et quamquam amplius id adhibere noluit, tamen hortatu amici adductus est, ut tertium tentaret, sed mox denuo exstitit rheumatismus, tunc cum febri et gastricismo conjunctus, ita ut lectum tenere cogeretur.

Hoc statu, addit Eagle, ægrotum inveni, et tantummodo hirudinibus, remediis purgantibus cet. ægrotum curare mihi contigit.

Hieme præterlapsa casum quendam ipse observavi, in quo rheumatismus metastasi e gonorrhoea balsamo copaivæ suppressa oriri visus est. Ægrotus tertio die post coitum

---

[1]) Lancet 1836. Behrends Syphilidologie 1 Theil pag. 350.

animadverterat effluxum ex urethra cum stranguria notabili conjunctum; duobus modo diebus interjectis balsamum copaivæ adhibere coepit; post tres doses sumptas siluit effluxus, sed tum exstitit ophthalmia, et quinque diebus postquam effluxus evanuit, arthropathia coxæ dextræ.

Fuit vero hic ægrotus *F. W*......., cujus casus in observatione nona relatus est, ibique commemoravi, eundem jam tribus annis antea, a. 1843, gonorrhoea cum arthropathia consecutiva laborasse, atque ideo tunc a. 1846, nova gonorrhoea orta, secundum regulam supra propositam necessitate quadem hac arthropathia affectus est, et certe exstitit, etiamsi balsamum copaivæ non adhibuerat. Itaque ille casus nihil certi præbet; casus vero, ab Eagle relatus, nimis mancus est, ita ut nil certi inde erui possit; ita non indicatum est, ægrotusne antea sicut *F. W*...... rheumatismo gon. laborasset, et Eagle præterea relationem ægroti tantummodo affert, non casum ab ipso observatum; jam vero constat ægrotos sæpe effluxum silere dicere, quando a purulento serosus & parcus factus sit, atque rem in hoc casu ita se habuisse, eo probabile fit, quod balsamo seposito effluxus semper reversus dicitur.

Restat tantummodo casus a Liliewalch relatus, sed hic fortasse minus tempestive pulveres cubebarum adhibitos invenimus. Etsi enim talis usus magnarum pulveris cubeb. dosium in stadio inflammationis gonorrhoeæ a multis valde commendatur, etsi eas nonnunquam bonum effectum afferre ipse vidi, credo tamen iis hoc in stadio porrectis gonorrhoeas frequenter chronicas fieri. Sed si jam ea,

quæ gonorrhoeas chronicas reddere solent, morbo nostro favere videri reputamus, magnopere mihi probabile fit, abusum vel usum intempestivum balsami copaivæ aut pulveris cubeb. idoneam huic morbo provocando conditionem esse, sed tamen nequaquam probatum esse censeo, usum horum medicaminum solitum, stadio inflammationis prætterito, ei favere.

2) Refrigerium.

Nulla sane causa sæpius ab ægrotis inprimis in affectionibus rheumaticis affertur, quam refrigerium; quare sæpius mirum mihi visum est, ne unum quidem eorum, quos arthropathia gonorrhoica laborantes examinavi, hanc causam culpasse et in casibus e diariis collectis hanc causam nonnunquam quidem, sed tamen raro modo allatam inveni, et adhuc monendum est, complures eorum initio, quando diarium conficeretur, gonorrhoeam dissimulasse, atque ideo sine dubio ficte tantummodo refrigerium indicasse. Quoniam igitur refrigerium nullius fieri momenti ad rheumatismum gon. provocandum observavi, hoc non inter causas disponentes hujus morbi numerandum esse censeo.

Huic rei alia ratio bene congruere mihi videtur. Constat enim ad rheumatismum vulgarem inprimis duo anni tempora, ver & auctumnum, disponere. Jam vero, quo mense quisque illorum 57 casuum ortus sit, disquirens, inveni:

Mense	Januario	5.
—	Februario	3.
—	Martio	3.
—	Aprili	4.
—	Maio	4.
—	Junio	2.
—	Julio	11.
—	Augusto	2.
—	Septembri	5.
—	Octobri	6.
—	Novembri	1.
—	Decembri	3.
Summa . . .		49.

et octies comperire non potui, quo mense morbus ortus esset. Vidimus igitur m. Julio multo majorem numerum casuum rheumatismi gon. ortum esse, quod haud dubie eo dependet, quod hoc tempore plures gonorrhoeæ oriri videntur. Casus 141 enim gonorrhoeæ in sectione chirurgica nosocomii com. tractatos comparans, maximum gonorrhoearum numerum a mense Junio ad m. Augustum contractum esse inveni, et causa hujus rei sine dubio hæc est, quod incolæ nostræ urbis inprimis his mensibus delectationibus in locis publicis sese dedunt (Dyrehaven, Tivoli), quo etiam accedit, quod hoc tempore maximus numerus peregrinorum in urbem nostram confluit, ita ut hi menses Hauniæ idem fiant, quod menses Januarius et Februarius sunt Parisiis, quo tempore ob magnum gaudiorum numerum (Carneval) ex sententia Ricordii viri

ill., optimi sine dubio hujus rei judicis, morborum venereorum numerus magnopere augetur.

Si jam mense Julio summus numerus gonorrhoearum apud nos occurrit, sane probabile est, hoc mense etiam rheumatismi gonorrhoici plurimos casus exsistere, si quidem hic morbus vere gonorrhoeæ non refrigerio debetur.

3. Traumata.

Constat, in ægrotis, ad rheumatismum dispositis, lapsum, ictum cet. vulgari rheumatismo articulari orienti favere. Sed inter 57 rheumatismo gon. laborantes duo tantummodo hanc causam indicarunt, et quidem alter sine dubio ficte, ut veram causam gonorrhoeæ celaret. Quare traumata inter causas ad rheumatismum gonorrhoicum disponentes certe non sunt numeranda.

3.

Jam ad sententias scriptorum de ratione, inter gonorrhoeam et rheumatismum intercedente, reversi, dijudicare eas tentemus.

1) Estne igitur gonorrhoea prædisponens tantummodo causa rheumatismi, ita ut causa determinans, ut refrigerium, alia, requiratur ad morbum excitandum, quæ fuit sententia Cullerieri sen. plerorumque?

Vidimus neque refrigerium neque violentiam externam locum ullum tenere inter conditiones, ortui rheumatismi faventes; vidimus præterea in introductione gonorrhoeam agere causam determinantem non universi solum morbi, sed etiam uniuscujusque morbi impetus. Licet ergo sine dubio concludere, hanc sententiam non veram esse.

2) An oritur rheumatismus metastasi, gonorrhoea silente?

Supra casum retuli, qui primo adspectu hanc sententiam confirmare alicui videri posset, sed casus erat recidivus atque ideo nulla certa inductio inde erui potest. Sed præter hunc casum unum modo vidi, in quo, gonorrhoea subito silente, rheumatismus ortus est.

P. J... enim, qui m. Januar. a. 1847 in nosocomium com. intravit, postremis anni 1846 diebus effluxum ure-

thralem sese observasse retulit, initio Januarii, effluxu notabili persistente, balneum Russicum adhibuisse, sed post nonnullas horas exstitisse ophthalmiam sat tamen levem, effluxum siluisse, et die insequente jam hydarthrum genus dextri formatum esse. Sed is quoque casus erat recidivus, nam idem homo antea ob eundem morbum in nosocomio com. decubuerat, atque ideo hic casus non majorem habet vim ad hanc sententiam confirmandam, quam anterior. In duabus modo observationibus earum, quas e diariis nosocomiorum excerpsi, adnotatum inveni, gonorrhoeam evanuisse eo tempore, quo rheumatismus oriretur. Si ergo his confidendum est, quod fortasse dubium statui potest, si dein casus a Liliewalch & Eagle citatos spectamus, vix omnino negare licet, morbum hoc modo oriri posse, ita tamen ut hic oriundi modus non regulam sed potius exceptionem constituat, sed quum nullum fere discrimen indicetur inter eos casus, in quibus rheumatismus, gonorrhoea subito silente, ortus est, et eos, in quibus, gonorrhoea persistente, exstitit, quumque in omnibus his casibus effluxus semper brevi post reverteretur, nihil fere mihi interesse videtur, sileat effluxus an persistat.

3) An est rheumatismus gonorrhoicus symptoma infectionis gonorrhoicæ organismi?

Hæc sententia, ut jam supra commemoratum est, ea inprimis analogia nititur, quæ inter symptomata, ex ulcere syphilitico orta, et ea, quæ gonorrhoea provocantur, interesse dicitur, atqui quum jam satis constet, magnam illorum partem ex infectione organismi oriri, hanc quoque symptomatum seriem simili modo exsistere, conclusum est.

Sed hæc analogia, quod ad arthropathiam saltem attinet, completa mihi haud videtur.

In syphilide enim videmus, ulcus apparere, sanari et frequenter omnia affectionis primariæ vestigia evanescere, quum symptomata secundaria vel tertiaria exsistant; si itaque originem horum symptomatum explicare volumus, infectionem organismi admittere coacti sumus.

Aliter autem nostro in morbo res sese habet; quando enim arthropathia, ex hac sententia symptoma secundarium, apparet, affectio primaria (inflammationem dico urethralem) semper adhuc persistit, effluxus momento quidem temporis silere potest, sed reditus ejus, semper brevi post insecutus, morbum perstitisse satis probat. Ergo, morbo primario semper persistente, non ad hypothesin de infectione organismi cogimur; potest enim facillime fieri, ut affectio urethralis sympathia, cujus dominium in morbis excitandis tam amplum est, arthropathiam provocarit. Præterea constat, symptomata syphilitica secundaria & tertiaria frequenter cum longis intervallis sponte reverti, nullo novo symptomate primario contracto; arthropathia gon. autem interdum quidem revertitur, sed sicut in introductione probatum est, gonorrhoea denuo contracta semper requiritur, nisi affectio urethralis persistit.

Quum denique omnino non probatum mihi videatur, virus specificum gonorrhoea in organismum introduci, non possum assentiri eorum sententiæ, qui arthropathiam gonorrhoicam symptoma infectionis gonorrhoicæ esse putant.

4) An est arthropathia gonorrhoica symptoma infectionis syphiliticæ?

Confitendum est, infectionem syphiliticam haud dubiam esse, sed valde incertum quidem est, possitne gonorrhoea, nisi ulcere syphilitico urethrali complicata est, eam provocare. Sed existimari potuit, arthropathiam gonorrhoicam eas ipsas gonorrhoeas sequi, quæ cum ulceribus syphiliticis, vel in urethra vel extra eam sitis, conjunctæ fuerint.

At nullus e 65 casibus, quos ad hanc disquisitionem collectos habeo, suspicionem ulceris urethralis præbuisse videtur, neque unquam apud eos, qui de rheumatismo gon. scripsere, illam complicationem notatam invenio, et quod ad ulcera primaria, extra urethram sita, attinet, 4 modo inter 65 his affecti fuere. Semel tantummodo symptoma secundarium, efflorescentia pustulosa syphilitica, sub decursu rheumatismi gon. adfuit, idque apud hominem, qui introitu præter gonorrhoeam etiam ulcerationibus glandis superficialibus laboraret.

Quum præterea arthropathia syphilitica aliquantum differt ab arthropathia gonorrhoica; illa enim inprimis duras articulationum partes, ossa et cartilagines, hæc partes molliores, telas fibrosas et cellulosas, afficit, quum denique neque calomel neque kali hydrïodicum, optima remedia antisyphilitica, ullum fere effectum ad hunc morbum curandum exserere videantur, negandum esse censeo, rheumatismum gonorrhoicum esse symptoma infectionis syphiliticæ.

5) An debetur rheumatismus usui balsami copaivæ? Sed jam vidimus ne in dimidia quidem nostrorum casuum parte hoc remedium adhibitum fuisse, atque etiamsi nonnulli casus afferri possint, quibus probabile fiat, intem-

pestivum balsami copaivæ et similium remediorum usum vix nullius esse momenti ad morbum excitandum, tales casus tamen rari sunt, et morbus ergo re vera gonorrhoeæ non his romediis adscribendus est.

His omnibus perlustratis una tantummodo restat sententia; est illa: gonorrhoea est causa determinans rheumatismi, singulari constitutione prædisponente, certisque conditionibus, quas jam examinavi, faventibus.

Caput 2.

Rheumatismus gonorrhoicus acutus.

Rheumatismus gonorrhoicus duabus formis, acuta & chronica, indutus apparet. Ad has duas formas statuendas perductus sum, non tempus solum, quod quæque perdurat, sed modum quoque, quo apparet, decursum, exitum, rationem, qua medicaminibus cedunt, spectans.

Plerique scriptores unam modo admittunt formam hujus morbi, atque ita factum est, ut non solum ab aliis scriptoribus sed etiam ab observationibus a se ipsis relatis dissentiant. Ita Bonnet morbum nostrum sæpissime multas articulationes aut simul aut alteram post alteram aggredi refert; plerisque contra id morbo nostro proprium videtur, ut fere semper singulam modo articulationem afficiat. Neutra sententia sine justa causa proponitur; illa enim chronicæ, hæc acutæ formæ rationem habet. Alia ex parte Gibertus contendit, hunc morbum cito cedere, et brevi temporis spatio sanationem insequi, sed fere omnes scriptores inde a Swediaurio morbum valde pertinacem faciunt, et frequenter rigiditatem et anchyloses remansisse dicunt. Si vero

examinamus casus, a Giberto relatos, eum, qui brevissimo tempore sanatus esse dicitur, tamen per tres hebdomades, alterum per 4, duos per 6 morbo laborasse reperimus.

Si ita plerique scriptores unam modo admittunt rheumatismi gon. formam, nonnulli, ut Eisenmann et Holscher, tres statuunt: unam metastaticam, alteram acutam, tertiam chronicam. Harum autem prima mihi delenda esse videtur. Ipse Eisenmann ait hanc formam a duabus ceteris dignosci non posse, „sed, addit, forma metastatica eo a ceteris magnopere differt, quod radicitus sanatur, si effluxus revertitur; rheumatismus autem, qui sequela est gonorrhoïcæ organismi infectionis, non ita se habet.

Holscher autem metastaticam formam ita describit: Gonorrhoea subito silente exsistit, horripilationibus antecedentibus, post 10—20 horas arthropathia plerumque genus alterutrius; articulatio affecta præbet formam capsulæ, calida est, atque interdum apparet rubor integumentorum, et in gravioribus casibus pseudoerysipelas. Hæc arthroitis ad abscesssus formandos valde inclinat, quin etiam phlebitis, ut semel Holscherus observavit, oriri potest, inde infectio purulenta et exsudatio letalis in organis cavitatis pectoris.

Inflammatio initio membranam synovialem afficit, deinde cartilagines et ossa aggredi potest, quæ mox cariosa vel necrotica fiunt; interdum resolvitur morbus, aut aliam sibi formam, sive acutam sive chronicam, inducit. In metastatica rheumatismi gon. forma, addit Holscher, maximi interesse visum est, gonorrhoeam revocari, quam ob causam irritatio urethræ cereolis vel aliis modis magnopere commendata est, sed quum cessante causa non semper cesset

effectus, hortatur, ut minus effluxus quam arthropathiæ rationem habeamus. Acutam vero formam Holscher dicit minus membranam synovialem quam fibrosas articulationum partes aggredi, ideoque raro tantummodo hydarthrum, rarissime cariem, abscessum necrosemve formari; sed ad anchyloses spurias formandas hanc formam magnopere propensam esse, ita ut interdum 8—14 tantummodo diebus interjectis rigiditas notabilis appareat, et particulæ fibrosæ, vel fibro-cartilaginosæ, postea quin etiam osseæ in ligamentis capsularibus depositæ reperiantur. Hæc arthropathia, ait, sæpissime quidem genua afficit, sed potest etiam alias articulationes, ut manus, pedis, vertebrarum dorsi, rarius cubiti, rarissime ceteras aggredi. Articulatio affecta tumet quidem, sed formam normalem diutius retinet, quam in forma metastatica; rarissime integumenta rubescunt, sed dolor notabilis est.

Forma acuta ergo ex sententia Holscheri eo inprimis a metastatica differt, quod minus subito exsistit, minus ad hydarthros, magis ad anchyloses propendit, denique habitum minus inflammatorium præbet.

Hæc descriptio satis recta fortasse esset, si, quando effluxus arthropathia oriente nonnihil deminuitur, metastasim adesse constaret, sed hæc deminutio, in forma acuta haud raro occurrens, sine dubio non metastasis habenda est, sed potius effectus rheumatismi orientis; quum enim effluxum urethralem interdum deminui videmus, quando bronchitis, pleuritis, vel gravis alius morbus exstitit, haud mirum mihi videtur, si quando inflammatio gravis articularis ut hydarthrus genus oriatur, idem e veniat.

Quare equidem censeo, quam formam Holscher metastaticam appellet, re vera acutam esse, in qua effluxus vel nonnihil vel omnino deminutus sit, quam vero ille acutam nominet, eam maxime iis casibus formari, quibus forma acuta in chronicam magis transeat. Quæ symptomata enim a Holschero formæ metastaticæ propria dicta sunt, fere omnia in casibus formæ acutæ reperiri solent, quod duabus observationibus, quarum prior a Velpeau[1]) viro ill. relata est, confirmare forsitan liceat.

Observatio 14ta.

Die quarto m. Octobris a. 1838 intravit in nosocomium Parisiense, quod la Charité vocatur, cubiculo St. Virginis No. 34 Nequetus, 21 a. n., homo bonæ constitutionis. Retulit se, nunquam antea arthropathiam ullam passum, per quinque menses effluxu gonorrhoico laborasse, ad eum vero sanandum nulla medicamina adhibuisse. Octo diebus antequam in nosocomium intrasset, utrumque genu valde tumere et doloribus pungi coepisse. Diebus insequentibus autem dolores increvisse inprimis genus dextri, ibique integumenta colorem rosaceum sibi induxisse ad infimam tertiam tibiæ partem sese extendentem. Hoc statu in nosocomium portatus, dolores vehementes genuum questus et febri nonnihil agitatus est. Genu dextrum multo magis tumidum erat quam sinistrum, signa exsudationis in capsula synoviali manifesta præbens; rubor erysipelatosus a parte tertia inferiore tibiæ ad tres circiter pollices

---

1) Leçons orales Tom. 2.

supra patellam sese extendit. Exploratione genitalium gonorrhoea apparuit; ægrotus negavit, effluxum arthropathia invadente, deminutum esse.

V. S.

Baln. tepid.

Diæta restricta.

Requies absoluta.

6. Rubor erysipelatosus evanuit, tumor genus paulum decrevit, dolores multum deminuti sunt; ægrotus fuit magis tranquillus, et magnam noctis partem dormivit.

Præscriptus est ad effluxum sistendum bals. copaivæ et pulvis cubebarum; post tres dies siluit gonorrhoea; tumor articulationis sed levis tantummodo perstitit; compressio applicata est, et die 15 m. Octbr. perfecte sanatus nosocomium reliquit.

Observatio 15ta.

P.... 17 a. n., habitus nonnihil scrophulosi gonorrhoeam æstate a. 1847 contractam per menses complures balsamo copaivæ et pulvere cubebarum tractavit, donec tandem cessavit, sed m. Decembri iterum apparuit, ut videtur post coitum impurum; capsulis e balsamo copaivæ et pulvere cubebarum in usum vocatis, nonnihil deminuta quidem, sed non sedata est.

Noctu autem inter 3—4 m. Ianuar. 1848 ægrotus, qui gonorrhoea excepta vespere omnino sanus decubuerat, et neque refrigerium neque violentiam externam passus erat, experrectus est dolore, qui initio in coxa sinistra

hærens inde ad tractum femoris se tetendit. Mane genu sinistrum valde tumidum erat, leviter rubrum, pressione et motu dolorificum, neque id flectere valebat. Intercurrere præterea febrilia, frigus cum calore insequente sine sudore, sitis et cephalalgia; gastricismus nullus adfuit. Effluxus urethralis seropurulentus perstitit vix minus largus ac antequam invasionem arthropathiæ. Postridie in nosocomium Fredericianum portatus est; tumor formam capsulæ et fluctuationem manifestam præbuit; febrilia jam evanuerunt. Hirudinibus VIII applicatis tumor articulationis jam postridie magnopere deminutus est, et nonnullis diebus post, cataplasmate saturnino in articulationem applicato et pulvere cubebarum cum alumine porrecto, omnino evanuit, ita ut octo circiter diebus præterlapsis genu optime flectere valeret. Tamen etiamnunc in nosocomio moratus est; exstitit enim nonnullum pedis et cruris sinistri oedema, sine dubio fasciis expulsivis circa genu provocatum.

Quibus exemplis præmissis jam hanc formam rheumatismi gonorrhoici describam, sed quum rarius occurrere videatur, ita ut ne quarta quidem pars casuum, quos hic collegi, ad eam pertineat, descriptio modo erit brevis, et unumquodque symptoma separatim tum primum examinabo, quando postea disputabo de symptomatis formæ chronicæ rheumatismi gon., ad quam uberius discribendam numerus observationum multo major mihi præsto est.

Symptomata.

Antequam oritur arthropathia, in qua fere omnino versatur hæc rheumatismi gonorrhoici forma, morbus in-

terdum quibusdam *prodromis* præsagitur. Ita apparent interdum horrores et status febrilis, a febri rheumatica eo imprimis differens, quod neque sudor ille, huic morbo proprius, adest, neque urina, id quod tam sæpe in febri rheumatica accidit, sedimentum lateritium ponit. Hic status febrilis cum doloribus vagantibus, omnino indole rheumatica indutis, conjunctus esse potest. Febrilia plerumque unum modo diem vel biduum perdurant, et hoc temporis spatio præterlapso dolores vagantes, si adfuere, fixi fiunt et ad unam articulationem concentrantur.

Deminutio quoque effluxus urethralis morbum interdum præsagit, sine dubio eodem modo ac secretio ulcerum inveteratorum, quum morbis gravis appropinquat, nullo interdum adhuc certo symptomate apparente, deminui observatur.

Sive autem adsunt ejusmodi invasionis symptomata, sive, quod haud rarius est, desunt, *dolor* alicujus articulationis fere semper primum est symptoma locale. Plerumque enim articulationes, quæ primum morbo infestabuntur, dolere incipiunt, tum tumor seqvitur et interdum calor, rarius rubor. Dolor plerumque sat notabilis est. Velpeau quidem hoc morbo nostro proprium esse censet, articulationes affectas fere indolorificas esse; sed si etiam concedendum est, interdum, maxime in casibus formæ chronicæ, exempla occurrere, in quibus dolor tantummodo levis sit, et præterea dolorem fere semper minorem esse, quam et in hydarthro rheumatico et in rheumatismo articulari acuto, vix illud nostro morbo proprium dici potest, quoniam omnes, qui de hoc morbo scripsere, in eo con-

sentiunt, ut dolorem præsertim initio fere semper notabilem esse dicant.

Motus inprimis articulationis dolorem excitat, minus pressio, quæ res quoque naturam nostri morbi rheumaticam indicat. Dolor interdum sat eircumseriptus observatur, ita ut nonnulla artieulationis puneta doleant, dum pressio reliquæ articulationis bene fertur; talia puncta in hac rheumatismi gon. forma inprimis eondyli tibiæ et margo patellæ visa sunt.

Quando dolor per nonnullis dies perstitit, plerumque, maxime si cura idonea adhibita fuit, decrescere incipit, neque hae in forma tam sæpe exacerbationes aceidunt, quam in ehroniea; sed eodem tempore tumor inereseit; potest quidem fieri, ut dolor et tumor, sieut in obs. 12, eodem fere tempore appareant et conjuneti inereseant, sed etsi eoncedendum est, tumorem in hoc morbo et inprimis in hae forma sæpe, sieut ab Velpeau viro ill. indieatum est, sat subito formari, et volumen notabile aequirere, tamen eommune forsitan hoc statui non potest, et si morbus noster re vera rheumatiei ingenii est, ideoque primum maxime telas fibrosas aggreditur, tumor autem in hac morbi nostri forma maxime exsudatione serosa in eavitate articulari formatur, sane exspeetandum est, aliquantum temporis necessarium esse ad irritationem a fibrosis articulationis partibus ad serosas propagandam. Sed plerumque tumor paucis diebus præterlapsis summum volumen aequirit, et tum decreseere solet. Ad magnum volumen aequirendum inprimis exsudatio serosa juvat, nam in forma acuta genua maxime afficiuntur, ibique tum hydarthrus

formari solet, quare hæc forma a nonnullis haud improprie hydarthrus gonorrhoicus vocatur.

Tumor, quantum ego quidem plerumque vidi, hac in forma est cuti concolor; exceptiones, qualem obs. 2 præbet, et sicut ab Holschero indicatum est, intercurrunt; sed sine dubio sat raræ sunt. *Calor* haud raro ab ægrotis accusari solet.

Functio læsa est; ægroti articulationem ob tumorem et dolorem movere non possunt, et plerumque quasi debilitatem totius extremitatis sentiunt, quam inprimis, quando scalas descendunt, queri solent; si genua affecta sunt, ea extensa vel levissime flexa tenere præoptant.

Si *arthropathiam in universum* spectamus, dicendum est, cam in hac forma morbi nostri semper paucas et quidem magnas articulationes aggredi solere. Ex omnibus duas inprimis infestat, articulationem genuum et pedum; frequenter utraque afficitur, raro aliæ articulationes ut articulatio manus aut cubiti. Articulationis minores hac in rheumatismi gon. forma affici non solent neque ullum exemplum apud scriptores reperi, in quo articulatio parva in rheumatismo gon. acuto affecta sit, quæ res forsan lectori primo adspectu non magni momenti esse videtur, sed tamen animos ad hanc rem convertere velim. In hac rheumatismi gon. forma affectio articularis raro modo sedem mutat; frequenter in uno genu ab initio usque ad finem hæret, et si aliæ articulationes post primas affectas infestari incipiunt, morbus potius sympathia quadam eas in similem statum vocare videtur, quam sicut in rheumatismo vulgari

ab una ad alteram migrare. Res forsan non omnino fortuita hæc est, quod hydarthrus sæpius genu sinistrum quam dextrum aggredi visus est, ita ut nunquam hac saltem in forma dextrum solum genu affectum esse viderim, quod cum eo congruere videtur, quod sinistra epididymis sæpius quam dextra affici observata est.

Quod ad symptomata universalia attinet, notandum est, morbum nostrum fere semper sine febri esse. Etiamsi febrilia morbo oriente occurrere possunt, etiamsi interdum febrilia sub ejus decursu exsistere observantur, totus tamen morbus afebrilem præbet habitum, et febrilia sub decursu intercurrentia sine dubio fere semper medicaminibus adhibitis, non ipsi morbo debentur, cujus rei exempla observatio prima et secunda præbent (chinin. sulphur., vesicatorium).

Titley inter symptomata nostri morbi accelerationem attulit pulsus, quæ constans esse dicitur, sed talem nunquam observavi. Nunquam in hac forma sub decursu morbi sudorem nisi ut effectum medicaminum observavi, neque urinam sedimentum lateritium continentem vidi. Neque organa digestionis affici mihi visa sunt, neque organa respirationis; somnus interdum doloribus turbatur.

Quod ad complicationes attinet, cordialia non, sicut in rheumatismo vulgari, primum locum tenent; nullum vidi casum, in quo forma acuta his complicata fuerit, neque usquam a scriptoribus ejusmodi relatam complicationem inveni. Contra ophthalmia frequentissima mihi visa est complicatio. Intercurrunt etiam casus, in quibus gonorrhoea præter arthropathiam etiam epididymitidem provocat, sed ejusmodi casus tamen rari sunt. Secundum diaria

sectionis chirurgicæ nosocomii Fredericiani casum satis memoratu dignum referam, in quo ophthalmia, arthropathia, epididymitis alternant.

Observatio 16ta.

Frantz P.... sutor intravit in nosocomium Fr. die 29 m. Junii a. 1842; laborabat tum per 14 dies gonorrhoea, ad quam sanandam thea demulcente usus est; præterea tribus diebus antequam in nosocomium intravit, exstiterant dolores utriusque oculi terebrantes cum sensu siccitatis oculorum.

Dolores ad frontem et tempora sese tendebant, et die insequente accessere photophobia, dacryorrhysis et agglutinatio palpebrarum. Conjunctiva palpebrarum flocculenta apparuit, pars inferior et interna conjunctivæ bulbi intense rubra et tumida ejusdem indolis ac conjunctiva palpebrarum inprimis ad carunculam lacrymalem. Pars conjunctivæ scleroticæ ad corneam adjacens nonnihil elevata erat, ita tamen ut circa corneam circulus coloris normalis relinqueretur. Secretio muci purulenti sat notabilis erat; ceterum cornea, iris, pupilla normalis, visus illæsus. P. 70. Præterea nil questus est ægrotus.

Hirud. med. viij ad oculos.

30. Rubor hodie magis irregulariter punctatus, maculæ rubræ cum interstitiis liberis apparent.

Incisio radiata ad canth. int. sanguinis fluxum nonnullum provocans.

Hirud. med. vi ad ocul.

Sal. anglic.

1 Juli. Injectio fere immutata; epiphora mane intensa.

Hirud. med. V utr. ocul.

℞ Vitriol. zinci griij.

Aquæ destillat. ℥j.

Laud. lqd. Sdhm. ℈j.

m. ad instill. ʒ dd.

2. Heri vespere

V. S. ℥xij

instituta est. Sanguis normalis; photophobia et epiphora vix mutata, dolores minuti.

3. Secretio muci minor sicut epiphora; photophobia fere haud mutata; oppressionem nonnullam abdominis, vix non dolorifici, accusat.

4. Heri vespere accessere dolores vehementes genus sinistri.

Ungv. sinap.

Hodie ibi fluctuatio manifesta indagatur.

Hirud. med. xij.

Cataplsm. saturn.

Fascia contentiva pro fracturis.

Præterea vespere

Emeticum

cum effectu. Somnus doloribus genus interruptus; dolor et tumor vix minuti.

Cremor. tartari ʒβ

Thea sambuci.

7. Heri vespere

Hirud. med. xvj.

Tumor tamen hodie æque dolorificus, lingua albida, sitis nonnulla. P. 85 tensus, alvus heri non ap.

Calomel. gr. x.
Jalappæ ℈j.
m.
Sep. reliq. medic.

8. Bono cum effectu.

Repet. ♂ cremor. tartor. & theam sambuci.

10. Dolores genus hodie nonnihil minuti, sed in oculis inprimis in oculo sin. recrudescunt. Nonnulla adest elevatio conjunctivæ ad canthum int., item photophobia et epiphora. Ceterum hodie nil queritur.

Hirud. med. x ad ocul.

11. Nonnullo cum levamine.

12. Noctu dolores et injectio valde aggravati sunt, photophobia et dacryorrhysis ita notabiles, ut oculos aperire non valeret. Gonorrhoea persistit.

Sep. instill.
Hirud. med. viij.

13. Dolor, epiphora photophobiaque augentur.

Hirud. med. viij.
Vesicat. pone aures.

14. Heri vespere

V. S. ℥xij.

instituta est; sanguis evacuatus sine crusta phlogistica, sed cum cruore firmo; injectio, photophobia doloresque minuti.

Vesicat. deligetur ungv. stib. fort.
V. S. ℥xij.

Vitriol. zinci. gr. iv.
Aquæ destill. ℥i.
Laud. lqd. Sdhm. ℈i.
m. ad instillat.

16. Dolores oculorum et injectio bene minuti, sed jam genu iterum dolere coepit. Alv. heri non aperta.

Hirud med. xij. ad genu.
Sep. delig. ungv. stib.

17. Cum affectu. Dolores minuti quidem, sed non evanidi, inprimis ad inferiorem patellæ marginem hærent.

20. Dolores genus et oculorum evanuerunt. Injectio fere nulla. Somnus bonus sicut appetitus cibi.

Lectum relinquat. Sep. cremor. tartari & theam sambuci.

25. Jam extra lectum sedit.

28. Fluctuatio genus omnino nulla.

Sep. instillat.

31. Fulcris nixus amabulare coepit.

5 August. Gonorrhoea semper persistit.

Aqu. ophthalm. mercurial. ad injectionem urethræ.

16. Gonorrhoea adhuc persistit. Dolores accusat testiculi sinistri. Suspensorium scroti.

18. Testis tumorem format dolorificum et calidum.

Hirud. med. viij scroti.
Cataplsm. saturn.

20. Tumor, magnitudine ovi gallinacei, nondum minutus est. Dolores in situ quieto vix adsunt.

Cont. cataplsm. saturn.

21. Tumor testiculi minor, gonorrhoea vero aucta.

22. Gonorrhoea minor, testis pressione minus dolet, tumor minutus.

25. Tumor decrescit, dolor nullus est.

Sep. cataplsm. saturn.

26. Gonorrhoea adhuc persistit et effluxus sat largus.

Pulv. cubebar. ʒβ 3 dd.

27. Orchitis evanuit. Lectum relinquit.

28. Gonorrhoea silet.

30. Sanatus rogatu suo abiit.

Duratio -- exitus rheumatismi gonorrhoici acuti.

Hæc forma sicut paucis diebus, quin etiam uno die exsistere et summum gradum acquirere potest, ita etiam brevissimo temporis spatio deminui, quin etiam prorsus evanescere potest. Sed etiamsi interdum ita res se habet, præsertim si cura idonea adhibetur, commune tamen dici nequit, et plerumque morbus spatio 2-5 hebdomadum sanatur. Si morbus hoc spatium egreditur, fere semper formam chronicam sibi inducit, et duratio ejus tum difficillime determinatur; tum enim non solum sequelæ morbi, sed ipse morbus per annos persistere potest, et ita dua extrema attingit, nam nullus hydarthrus gonorrhoico celerius cessare potest.

Si forma acuta in chronicam non transit, plerumque omnino sanatur, neque in hac forma proclivitas ulla ad-

esse neque ad anchyloses neque ad abscessus formandos mihi visa est. Restat interdum per nonnullos dies rigiditas articulationis, aut sensus debilitatis extremitatis, sed brevi plerumque evanescit. Morbus tamen in hac forma letalis fieri potest; ita Holscher vir ill., ut supra dictum est, citat casum, quem ille quidem ad formam suam metastaticam refert, qui vero certe ad acutam pertinet. In diariis nosocomii communis alium reperi, quem hic secundum diarium referam.

Observatio 17ma.

Die 4 m. Julii a. 1846 intravit nosocomium com. vir 58 a. n. *J. F. B....,* qui jam antea gonorrhoea et ulcere syphilitico affectus fuerat, et jam denuo per mensem gonorrhoea laborabat, quam primo pulvere cubeb. tractaverat, dein balsamo copaivæ; post usum illius medicaminis rubeola per totum fere corpus sparsim exstiterat, febrilibus sat vehementibus, frigore eum insequente calore et sudore stipatis. Introitu febrilia adhuc adfuere, sitis erat intensa, cutis calida, pulsus circiter 100; anorexiam et cephalalgiam questus est. In articulatione genuum indagatur fluctuatio manifesta, sed dolor ibi nullus adest. Effluxus urethralis sat largus, purulentus, virideseens persistit.

Mixtur. nitros.

5. Queritur dolores faucium, mixtura provocatos.

Emuls. com. c. aqua amygd. amarar.

6. Heri subito mortuus est.

Sectio.

Superficies cerebri superior exsudato seroso complures lineas denso tegitur. Substantia ipsius cerebri inspicienti nonnihil punctata reperta est. Pulmones oedemate nonnullo lobulorum inferiorum excepto normales.

Cor. Auriculus dexter dilatatus, coagulum continens ad musculos papillares arcte adhærens, cujusque superficies diffluens inæqualis est, et ope microscopi examinatum cellulas, quæ puri propriæ habentur, præbuit. In superficie externa cordis tres maculæ coloris violacei apparent.

Renes nonnihil majores quam in statu normali; pyramides ob substantiam corticalem adauctam nonnihil deminutæ.

Hepar normalis. Lien mollis. Intestina sat injecta.

Urethra injectionem intensam, nulla vero ulcera præbet. In articulatione genus cartilagines et patellæ et femoris corrosæ repertæ sunt, et capsula massa vinolenta microscopo examinata cellulas puris præbente, expleta.

Hoc e diario sat difficile dijudicatu mihi videtur utrum arthropathia primaria, infectio purulenta secundaria, an contra arthropathia secundaria habenda sit. At tamen ad priorem sententiam nonnihil inclino. Præter hunc casum et illum a Holschero relatum nulla exempla eventus letalis in morbo nostro exstant, ex quibus quidem erui liceat, arthropathiam gonorrhoicam ad suppurationem minime proclivem esse; nam si res ita se haberet, eventus letalis sine dubio frequentior foret.

Cura.

Si morbus ab initio formam acutam sibi induit, quod plerumque, ut postea demonstrabo, sat bene distingui potest, tum maxime propositum nobis habendum est, ne morbus in formam chronicam abeat. Quare etiam hac in morbi forma optimo successu ea cura adhiberi mihi videtur, qua mox et affectio articularis et causa ejus, gonorrhoea, debellentur. Quoniam autem arthropathia indolem manifestam inflammatoriam præbet, remedia antiphlogistica primum in usum vocanda esse puto, et quidem pro statu universali aut venæsectionem aut hirudines. Velpeau his medicaminibus non magnopere favere videtur, sed credo injuste; tumor enim, sicut complures observationes supra relatæ demonstrant, sæpe bene decrescit, interdum miro gradu, et dolor fere semper maxime hirudinibus minuitur. Post hæc medicamina adhibita unguentum Neapolitanum certe commendandum est, dein vesicatoria aut alia derivantia. A nonnullis, ut Velpeau, vesicatoria laudantur, ab aliis, ut Lawrence, Thompson, rejiciuntur; quod sine dubio de stadio dependet, in quo hoc remedium adhibetur; minor enim effectus certe ex eo ducitur, quamdiu status inflammatorius adhuc viget; eo autem deminuto cum effectu in usum vocari potest; sed evitandum est, ne cantharides nimis systema urinarium irritent. Compressio a nonnullis valde commendata est, sed, nisi fasciæ expulsivæ accuratissime applicantur, facile nocent, oedema circa malleolos provocantes, quo morbus protrahitur.

Quum altera ex parte gonorrhoea in morbo nostro plerumque ad stadium resolutionis accesserit aut jam chro-

nica facta ante sit, quam arthropathia oritur, medieamina illa ad gonorrhoeam in tali stadio curandam maximc idonea in usum voeari debent, vel balsamum eopaivæ vel pulveres eubcbarum, vel injeetiones. Si effluxus silet, non revoeandus esse mihi videtur, sed certe spontc post nonnullos dies, primo rheumatismi impctu vehemcnti prælerlapso, revertitur, et tum solitis medieaminibus tractandus est.

Rheumatismus genorrhoicus acutus hoc modo tractatus plerumque brevi cedit, sed interdum medicamina respuit, et tum forma chronica evadit, quam postea describam.

